

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des 'Epigrammata' de Thomas More (suivis de ceux d'Erasmus), publiée en 1518, à Berne, par Johan Froben.

IN SUSCEPTI DIADEMATIS DIEM HENRICI OCTAVI,
ILLUSTRISSIMI AC FAUSTISSIMI BRITANNIARUM REGIS,
AC CATHERINAE REGINAE EJUS FELICISSIMAE,
THOMAE MORI LONDONIENSIS
CARMEN GRATULATORIUM.

E_1 v.1 Si qua dies umquam, si quod fuit Anglia tempus
2 gratia quo superis esset agenda tibi.
3 Haec est illa dies nuneo signanda lapillo,
4 laeta dies fastis annumeranda tuis.
5 Meta haec servitii est, haec libertatis origo,
6 tristitiae finis laetitiaeque caput.
7 Nam juvenem, saeculi decus o memorabile nostri,
8 ungit, et in regem praeficit ista tuum.
9 Regem qui populi non unius usque, sed orbis
10 imperio dignus totius unus erat.
11 Regem qui cunctis lacrimas detergat ocellis,
12 gaudia pro longo substituat gemitu.
13 Omnia discussis arident pectora curis,
14 ut solet excussa nube nitere dies.
15 Jam populus vultu liber praecurrit amoeno,
16 jam vix laetitiam concipit ipse suam.
17 Gaudet, ovat, gestit, tali sibi rege triumphat,
18 nec quicquam nisi rex quolibet ore sonat.
19 Nobilitas, vulgi jamdudum obnoxia feci,
20 nobilitas, nimium nomen inane diu,
21 nunc caput attollit, nunc tali rege triumphat,
22 et merito causas unde triumphet, habet.
23 Mercator variis deterritus ante tributis,
24 nunc maris insuetas puppe resulcat aquas.
25 Leges invalidae prius, imo nocere coactae,
26 nunc vires gaudent obtinuisse suas.

27 Congaudent omnes pariter pariterque rependunt
28 omnes venturo damna priora bono.
29 Jam quas abdiderat caecis timor ante latebris,
30 promere quisque suas gaudet et audet opes.
31 Jam juvat o, potuit tot furum si qua tot uncas
32 tam circumspectas fallere praeda manus.
33 Non jam divitias ullum est (magnum esse solebat)
34 quaesitas nullo crimen habere dolo.
35 Non metus occultos insibilat aure susurros,
36 nemo quod taceat, quodve susurret, habet.
37 Jam delatores volupe est contemnere, nemo
38 deferri, nisi qui detulit ante, timet.
39 Conveniunt igitur simul aetas, sexus, et ordo,
40 causaque non ullum continet ulla domi.
41 Quo minus intersint, dum sacris rite peractis,
42 Rex init auspiciis regna Britannia bonis.
43 Quacumque ingreditur, studio conferta videndi
44 vix sinit angustam turba patere viam.
45 Opplenturque domus et pondere tecta laborant,
46 tollitur affectu clamor ubique novo.
47 Nec semel est vidisse satis, loca plurima mutant,
48 si qua rursus eum parte videre queant.
49 Ter spectare juvat. Quid ni hunc spectare juvaret,
50 quo natura nihil finxit amabilius ?
51 Mille inter comites excelsior omnibus exstat,
52 et dignum augusto corpore robur habet.
53 Nec minus ille manu est agilis, quam pectore fortis,
54 seu res districto debeat ense geri.
55 Seu cum protentis avide concurritur hastis,
56 seu petat oppositum missa sagitta locum.
57 Ignea vis oculis, Venus insidet ore genisque
58 est color in geminis qui solet esse rosis.
59 Illa quidem facies alacri veneranda vigore
60 esse potest tenerae virginis, esse viri.
61 Talis erat Nympham cum se simulavit Achilles,
62 talis ubi Haemoniis Hectors traxit equis.
63 O si animi praestans una cum corpore virtus,
64 cerni, natura non prohibente, queat.
65 Imo etiam vultu virtus pellucet ab ipso,
66 est facies animi nuntia aperta boni.
67 Quam matura gravi sedeat prudentia mente,
68 quam non solliciti pectoris alta quies,
69 quoque modo sortem ferat, et moderetur utramque,
70 quanta verecundae cura pudicitiae,
71 quam tranquilla fovet placidum dementia pectus,
72 quam procul ex illo fastus abest animo,
73 Principis egregius nostri (quas fincere non est)
74 prae se fert certas vultus et ipse notas.
75 At qua justitia est, regnandi quas habet artes,
76 prosequitur populum qua pietate suum,
77 haec facile ex vultu fiunt illustria nostro,

78 Haec sunt ex nostris conspicienda bonis.
79 Quod sic afficimur, quod libertate potimur,
80 quodque abiere timor, damna, pericla, dolor,
81 quod rediere simul pax, commoda, gaudia, risus,
82 eximii virtus principis inde patet.
83 Enervare bonas immensa licentia mentes
84 idque etiam in magnis assolet ingeniis.
85 At quamvis erat ante pius, mores tamen illi
86 imperium dignos attulit imperio.
87 Nam bona quae pauci sera fecere senecta,
88 protinus in primo praestitit ille die.
89 Illico correptos inclusit carcere, quisquis
90 consilio regnum laeserat ante malo.
91 Qui delator erat, vinculis constringitur artis,
92 ut mala quae multis fecerat, ipse ferat.
93 Ad mercatores aperit mare. Si quod ab illis
94 durius exactum est ante, remisit onus.
95 Despectusque diu magnatum nobilis ordo,
96 obtinuit primo pristina jura die.
97 Ille magistratus et munera publica, vendi
98 quae suevere malis, donat habenda bonis.
99 Et versis rerum vicibus feliciter, ante
100 quae tulit indoctus praemia, doctus habet.
101 Legibus antiquam (nam versae evertere regnum
102 debuerant) subito vimque decusque dedit.
103 Omnis cumque prius prorsus descisceret ordo,
104 protinus est omnis redditus ordo sibi.
105 Quid quod in his etiam voluit rescindere quaedam,
106 ut populo possit commodus esse suo.
107 Quae tamen ante suo novit placuisse parenti ?
108 Sic patriam, ut decuit, praetulit ille patri.
109 Nec miror. Quid enim non principe fiat ab illo,
110 cui cultum ingenuis artibus ingenium est ?
111 Castalio quem fonte novem lavere sorores,
112 imbuit et monitis Philosophia suis.
113 Nominibus populus multis obnoxius omnis
114 Regi erat. Hoc unum pertimuitque malum.
115 At rex, hinc metui cum posset, posset et inde
116 congerere immensas, si voluisset, opes.
117 Omnibus ignovit. Securos reddidit omnes.
118 Sollicitique malum sustulit omne metus.
119 Ergo alios populi reges timuere, sed istum,
120 per quem nunc nihil est quod timeatur, amant.
121 Hostibus o princeps multum metuende superbis,
122 o populo princeps non metuende tuo.
123 Illi te metuun, nos te veneramur, amamus.
124 Illis, noster erit, cur metuaris, amor.
125 Sic te securum demptoque satellite tutum,
126 undique praestabunt, hinc amor, inde timor.
127 Extera bella quidem, coeat si Gallia Scotis,
128 sit tantum concors Anglia, nemo timet.

129 At procul intestina aberunt certamina. Namque
130 semina, quas causas unde oriantur, habent ?
131 Primum equidem de jure tuae tituloque coronae
132 quaestio jam non est ulla, nec esse potest.
133 Quae certare solet jam tu pars utraque solus,
134 nobilis hanc litem solvit uterque parens.
135 Ast magis abs te etiam est populi procul ira, tumultus
136 impia civilis quae solet esse caput.
137 Civibus ipse tuis tam carus es omnibus unus,
138 ut nemo possit carior esse sibi.
139 Quod si forte duces committeret ira potentes,
140 solvetur nutu protinus illa tuo.
141 Tanta tibi est majestatis reverentia sacrae,
142 virtutes merito quam peperere tuae.
143 Quae tibi sunt, fuerant patrum quaecumque tuorum,
144 saecula prisca quibus nil habuere prius.
145 Est tibi namque tui princeps prudentia patris
146 estque tibi matris dextra benigna tuae.
147 Est tibi mens aviae, mens religiosa paternae,
148 est tibi materni nobile pectus avi.
149 Quid mirum ergo novo si gaudeat Anglia more,
150 cum qualis numquam rexerat ante, regat ?
151 Quid quod laetitia haec, quae visa est non potuisse
152 crescere, conjugio crevit adaucta tuo ?
153 Conjugio, superi quod decrevere benigni,
154 quo tibi quoque tuis consulere bene.
155 Illa tibi conjunx, laetus communia tecum
156 quam vidit populus sceptrum tenere tuus,
157 cujus habent tantam caelestia numina curam,
158 ut thalamis ornent nobilitentque tuis.
159 Illa est quae priscas vincat pietate Sabinas,
160 majestate sacras vicerit heroidas.
161 Illa vel Alcestes castos aequarit amores,
162 vel prompto superet consilio Tanaquil.
163 Illo ore, hoc vultu, forma est spectabilis illa,
164 quae talem ac tantam sola decere potest.
165 Eloquio fecunda cui Cornelia cedat,
166 inque maritali Penelopea fide.
167 Illa tibi princeps multos devota per annos,
168 sola tui longa mansit amore mora.
169 Non illam germana soror nec patria flexit,
170 non potuit mater, non revocare pater.
171 Unum te matri, te praetulit illa sorori,
172 te patriae et caro praetulit illa patri.
173 Illa tibi felix populos, hic et inde potentes
174 non dissolvenda junxit amicitia.
175 Regibus orta quidem magnis, nibiloque minorum est
176 regum, quam quibus est orta, futura parens.
177 Hactenus una tui navem tenet ancora regni,
178 una, sat illa quidem firma, sed una tamen.
179 At regina tibi sexu fecunda virili

180 undique firmatam perpetuamque dabit.
 181 Proveniunt illi magna ex te commoda, rursus
 182 ex illa veniunt commoda magna tibi.
 183 Non alia ulla fuit certe te digna marito ;
 184 illa non alius conjuge dignus erat.
 185 Anglia tura feras sacrumque potentius omni
 186 ture, bonas mentes innocuasque manus.
 187 Connubium ut superi hoc, sicuti fecere, secudent,
 188 ut data caelesti sceptrata regantur ope.
 189 Utque ipsis gestata diu haec diademata, tandem
 190 et natus nati gestet et inde nepos.

EJUSDEM, IN SUBITUM IMBREM,
 QUI IN POMPA REGIS AC REGINAE LARGE OBORTUS,
 NEC SOLEM ABSTULIT, NEC DURAVIT.

E_2 v.1 Dum peterent sacras rex et regina coronas,
 2 pompa qua numquam pulchrior ulla fuit.
 3 Aureus explicuit late se Phoebus, eratque
 4 laeta dies populi consona pectoribus.
 5 Ast ubi jam mediam celebris pervenit in urbem,
 6 tota statim aethereis pompa rigatur aquis.
 7 Nulla tamen Phoebi subduxit lumina nubes,
 8 et minima nimbus perstetit ille mora.
 9 Res bene contra aestus cecidit, rem sive quis ipsam
 10 spectet sive omen non potuit melius.
 11 Principibus nostris uberrima tempora spondent,
 12 et Phoebus radiis et Jovis uxor aquis.

EJUSDEM AD REGEM.

E_3 v.1 Cuncta Plato cecinit tempus quae proferat ullum,
 2 saepe fuisse olim, saepe aliquando fore.
 3 Ver fugit ut celeri, celerique revertitur anno,
 4 bruma pari ut spatio quae fuit ante, redit.
 5 Sic inquit rapidi post longa volumina caeli
 6 cuncta per innumeras sunt reditura vices.
 7 Aurea prima sata est aetas, argentea post hanc,
 8 aerea post illam, ferrea nuper erat.
 9 Aurea te princeps redierunt principe saecula.
 10 O possit vates hactenus esse Plato.

EJUSDEM AD REGEM DE SPECTACULIS EQUESTRIBUS PER EUM AEDITIS,
 EPODON IAMBICUM.

E_4 v.1 Quaecumque reges ediderunt hactenus
 2 equestrium spectacula,
 3 lugubris illa semper aliqua reddidit

4 calamitas insignia.
 5 Aut tabido transverberati militis
 6 madens arena sanguine.
 7 Aut lanceis icta unguisve sonipedum
 8 obtrita plebs ferocium,
 9 turbamve comprimens simul miserrimam
 10 lapsae ruina machinae.
 11 Verum tua haec spectacula, o rex omnium,
 12 quae vidimus pulcherrima,
 13 Non ulla clades, sed tua digna indole
 14 insignit innocentia

EJUSDEM, DE UTRAQUE ROSA IN UNUM COALITA.

E_5 v.1 Purpureae vicina fuit rosa candida. Utramque
 2 utraque dum certant, sit prior utra, premit.
 3 Utraque sed florem rosa jam coalevit in unum,
 4 quoque potest uno lis cadit illa modo.
 5 Nunc rosa consurgit, nunc pullulat una. Sed omnes
 6 una habet haec dotes quas habuere duae.
 7 Scilicet huic uni species, decor atque venustas,
 8 et color, et virtus, est utriusque rosae.
 9 Alterutram ergo rosam vel solam quisquis amavit :
 10 hanc in qua nunc est, quicquid amavit, amet.
 11 At qui tam ferus est ut non amet, ille timebit :
 12 nempe etiam spinas flos habet iste suas.

IN RHETOREM INDOCTUM. E GRAECO.

E_6 v.1 Quinque soloecismis donavi rhetora Flaccum,
 2 quinque statim decies reddidit ille mihi.
 3 "Nunc numero hos, inquit, paucos contentus habeto.
 4 Mensura accipies quando redibo Cypro."

IN SUSPICIONEM. E GRAECO.

E_7 v.1 Magnam habet in rebus vim ac pondus opinio. Non vis
 2 laedere, velle tamen si videare, peris.
 3 Sic et Philolaum quondam occidere Cretenses,
 4 quem falso credunt velle tyrannum agere.

IN RHETOREM INFANTEM SCITE PICTUM. E GRAECO.

E_8 v.1 Ipse tacet Sextus, Sexti meditatur imago.
 2 Ipsa est rhetor imago, ab imagine rhetor imago est.

IN CAECUM ET CLAUDUM MENDICOS.

E_9 v.1 Claudipedem gestat caecis vicinus ocellis,
2 conducitque oculos arte locatque pedes.

ALITER.

E_10 v.1 Caecus claudipedem gestat. Prudenter uterque
2 rem gerit, atque oculos hic locat, ille pedes.

ALITER.

E_11 v.1 Caecus fert claudum, atque opera conducit eadem,
2 istius ille oculos, illius iste pedes.

ALITER.

E_12 v.1 Claudum caecus onus grave, sed tamen utile vectat.
2 Prospicit atque oculis, huic regit ille pedes.

IDEM FUSIUS.

E_13 v.1 Tristis erat nimium miseris Fortuna duobus,
2 huic oculos, illi dempsit iniqua pedes.
3 Sors illos copulat similis, claudum vehit alter.
4 Sic sua communi damna levant opera.
5 Hic pedibus quovis alienis ambulat, itur
6 huic recta alterius semita luminibus,

IDEM ALITER.

E_14 v.1 Utilius nihil esse potest quam fidus amicus,
2 qui tua damna suo leniat officio.
3 Foedera contraxere simul mendicus uterque
4 cum claudo solidae caecus amicitiae,
5 claudo caecus ait : "Collo gestabere nostro."
6 Rettulit hic : "Oculis, caece, regere meis."
7 Alta superborum fugitat penetralia regum,
8 inque casa concors paupere regnat amor.

ALITER.

E_15 v.1 Cum claudo caecus sic lege paciscitur aequa, ut
2 hic ferat illum humeris, hunc regat ille oculis.

PINUS NAUTICA LOQUITUR VENTO SUBVERSA. E GRAECO.

E_16 v.1 Pinus ego ventis facile superabilis arbor,
 2 stulte, quid undivagam me facis ergo ratem ?
 3 An non augurium metuis ? Cum persequitur me
 4 in terra, Boream qui fugiam in pelago ?

IDEM ALITER.

E_17 v.1 Ventis pinus humo sternor, quid mittor in undas ?
 2 Jam nunc passa prius quam nato naufragium.

IN NAVIM EXUSTAM.

E_18 v.1 Jam ratis aequoreas oneraria fugerat undas,
 2 matris at in terrae deperiit sinibus.
 3 Corripitur flammis, atque ardens auxiliares
 4 quas maris hostiles fugerat, optat aquas.

CUNICULA LOQUITUR, QUAE ELAPSA MUSTELAE
 INCIDIT IN DISPOSITA VENATORUM RETIA.

E_19 v.1 Mustelam obliquo dilapsa foramine fugi,
 2 sed feror humanos, heu misera, in laqueos.
 3 Hic ego non vitam celerem, non impetro mortem.
 4 Servor ut, heu, rapidis objiciar canibus.
 5 Qui mea dum laniant scelerato viscera morsu,
 6 spectat et effuso sanguine ridet homo.
 7 O durum genus, atque fera truculentius omni,
 8 nex cui crudelem praebet acerba jocum.

INNOCENTIAM OBNOXIAM ESSE INJURIAE. E GRAECO.

E_20 v.1 Ausus erit mordere malum vel mus, vetus hoc est
 2 verbum. Sed longe res habet ipsa secus.
 3 Innocuos audet vel mus mordere. Nocentem
 4 tangere non audet territus ipse draco.

IN EFFLATUM VENTRIS. E GRAECO.

E_21 v.1 Te crepitus perdit, nimium si ventre retentes.
 2 Te propere emissus servat item crepitus.
 3 Si crepitus servare potest et perdere, numquid
 4 terrificis crepitus regibus aequa potest ?

DE MORTIS AEQUALITATE. E GRAECO.

E_22 v.1 Victor ad Herculeas penetres licet usque columnas,
 2 te terrae cum aliis pars manet aequa tamen,
 3 Iro par moriere, obolo non ditior uno,
 4 et tua te (sed non jam tua) solvet humus.

IN SORDIDUM. E GRAECO.

E_23 v.1 Te ditem appellant omnes, ego plane inopem te.
 2 Nam facit usus opes, testis Apollophanes.
 3 Si tu utare tuis, tua fiunt. Sin tua serves
 4 haeredi, tua jam nunc aliena facis.

VENATUS ARANEAЕ.

E_24 v.1 Insidiata vagam comprehendit aranea muscam,
 2 et lentis trepidam cassibus implicuit.
 3 Jamque hiat in morsum. Sed saepe os inter et offam,
 4 ut verbum vetus est, multa venire solent.
 5 Sors muscae miseretur, et adversatur arachnae,
 6 inque malam e misera transtulit exitium,
 7 en stimulante fame properans invadis utramque,
 8 sturne. Ruunt casses. Haec fugit, illa perit.
 9 Sic misero spes est plerumque secure sub ipsa,
 10 inter et armatos mille malo metus est.

IN CYNICUM STULTE ABSTINENTEM. E GRAECO.

E_25 v.1 Barbati Cynici, baculoque vagantis egeni
 2 in cena magnam conspicimus sophiam.
 3 Scilicet hic raphanis Cynicus primum atque lupino,
 4 ne virtus ventri serviat, abstinuit.
 5 At niveum postquam bulbum conspexit ocellis,
 6 jam rigidum et sapiens excutit ingenium.
 7 Flagitat atque avide spem praeter devorat omnem,
 8 virtuti bulbus, nil, ait, officiet.

EPITAPHIUM MEDICI. E GRAECO.

E_26 v.1 Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,
 2 Phoebi immortalis semine progenitus.
 3 Crebra tropaea tulit morborum armis medicinae,
 4 laus cui magna, nec id sorte, sed arte fuit.

IN SERVUM MORTUUM. E GRAECO.

E_27 v.1 Hic servus, dum vixit, erat. Nunc mortuus idem
2 non quam tu, Dari magne, minora potest.

I N ANCILLAM MORTUAM.

E_28 v.1 Ante fuit solo, Sosime, corpore serva,
2 nunc fato pars est haec quoque missa manu.

IN PISCATOREM ADAMATUM. E GRAECO.

E_29 v.1 Pisces dum captat piscator, divitis illum
2 nata videt, visi flagrat amore viri.
3 Deinde vironubit. Sic illi ex paupere vita.
4 Magna superbarum copia venit opum.
5 Adstetit et ridens Fortuna ait : "Heu Venus haud jam
6 Mars erat iste tuus, Mars erat iste meus."

ALITER.

E_30 v.1 Mars erat iste meus, Venus, inquit, verba retorquens,
2 illico Sors eadem, Mars erat iste meus.

IN REPENTE FELICEM E MISERO. E GRAECO.

E_31 v.1 Non tibi quod faveat, sic te Fortuna levavit.
2 Vel de te liqueat, vult sibi, quid liceat.

IN MEDIOCRITATEM. E GRAECO.

E_32 v.1 Invidia est peior miseratio, Pindarus inquit.
2 Felici invidiam splendida vita facit.
3 At nimium miseros miseramus, Pindarus inquit.
4 Hei nimium felix nec miserandus ego.
5 Scilicet extremis longe mediocria praestant.
6 Infima calcantur, summa repente ruunt.

NIHIL PRODESSE TORQUERI METU MALI VENTURI. E GRAECO.

E_33 v.1 Cur patimur stulti, namque haec vecordia nostra,
2 urat ut indomitus pectora nostra metus.
3 Seu mala non venient, jam nos metus urit inanis.
4 Sin venient, aliud fit metus ipse malum.
5 Ipse quidem cecini, scripsit divinus Homerus,

6 (LACUNE)

IN RIDICULUM JUDICIUM. E GRAECO.

E_34 v.1 Lis agitur, surdusque reus, surdus fuit actor.
 2 Ipse tamen judex surdus utroque magis.
 3 Pro aedibus hic petit aes, quinto jam mense peracto.
 4 Ille refert : "Tota nocte mihi acta mola est."
 5 Aspicit hos judex, et quid contenditis, inquit :
 6 "An non utrique est mater ? Utrique alite."

AD LUCERNAM NOCTURNAM.

E_35 v.1 Lychne reversuram ter te juravit amica.
 2 Haec redit, o poenas det tibi, si deus es.
 3 Ludenti cum nocte places extinguere. Et aufer
 4 tam sacra tam sacris lumina luminibus.

LAIS ANUS AD SPECULUM. E GRAECO.

E_36 v.1 Nequiter arrisi tibi, quae modo gratia, amantum
 2 turbam in vestibulis Lais habens juvenum,
 3 hoc Veneri speculum dico. Nam me cernere talem
 4 qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

IN MORTIS DIEM OMNIBUS INCERTUM.

E_37 v.1 Non ego quos rapuit mors defleo. Defleo vivos,
 2 quos urunt longo fata futura metu.
 3 Fleres si scires unum tua tempora mensem.
 4 Rides cum non sit, forsitan una dies.

IN APUM INDUSTRIAM. E GRAECO.

E_38 v.1 Mellis apes fluvios ipsae sibi in aethere fingunt.
 2 Ipsae quos habitant aedificant thalamos.
 3 Grata apis humanae frugesque facillima vitae est,
 4 non bovis aut curvae falcis egebit ope.
 5 Tantum opus hic situla est, ubi dulcia pocula mellis
 6 ubertim parvo fundat ab alveolo.
 7 Congaudete sacrae, varios et pascite flores,
 8 aetherei volucres nectaris artifices.

IN ANUM FUCIS FRUSTRA UTENTEM.

E_39 v.1 Saepe caput tinguis, numquam tinctura senectam,
 2 aut tensura genis quae tibi ruga tuis.
 3 Desine jam faciem stibio perfundere totam,
 4 ne persona tibi haec sit modo, non facies.
 5 Cum nihil assequeris fuco stibioque, quid amens
 6 vis tibi ? Numquam Hecuben haec facient, Helenen.

IN HOMINIS NATIVITATEM. E GRAECO.

E_40 v.1 Heus, homo si memor es, quid te dum gigneret, egit
 2 tum pater, ex animo jam tumor ille cadet.
 3 At Plato te factum dum somniat, inflat, inani
 4 aeternumque vocat semen et aethereum.
 5 Factus es ecce luto, quid suspicis alta ? Sed istud
 6 plasmate, qui te ornat, nobiliore feret.
 7 Quin si vera voles audire, libidine foeda
 8 natus es e coitu, guttula et e misera.

DE ASTROLOGO RIDICULO.

E_41 v.1 Non Cumaea sacro vates correpta furore,
 2 certius afflata mente futura videt.
 3 Quam meus astrologus divina clarus in arte
 4 praevidet inspecto sidere praeterita.

ALIUD IN ASTROLOGUM UXORIS IMPUDICAE MARITUM.

E_42 v.1 Astra tibi aethereo pandunt sese omnia vati,
 2 omnibus et quae sint fata futura monent.
 3 Omnibus ast uxor quod se tua publicat, id te
 4 astra, licet videant omnia, nulla monent.

IN EUMDEM IAMBICUM.

E_43 v.1 O care nobis siderum caelestium
 2 inspector astris, ipse nunc Phoebus tibi
 3 optem libenter indicare clanculum
 4 quiddam, quod ad te pertinens quam maxime,
 5 dum cuncta lustris, deprehendi pridie.
 6 Sed territat Venus, minatur et mihi
 7 secundum amorem, qui nihilo secundior
 8 mihi sit futurus, quam fuit Daphnes prior,
 9 quicquam cuivis garrulus si deferam
 10 de se marito, quale detuli prius.
 11 Nescibis ergo hoc, ceteras rerum vices
 12 docebo te. Nuptae sed in rebus tuae
 13 si quid tua non cedat ex sententia,

14 hoc omnibus prius patebit quam tibi.

ALIUD IN EUMDEM.

E_44 v.1 Quid inter alta, stulte, quaeris sidera
 2 in humo manentis conjugis mores tuae ?
 3 Quid alta spectas ? Infit : Id est cui tu times ?
 4 Dum jam tu, agat quid illa, quaeris in polo,
 5 haec quae libebat, interim egit in solo.

ALIUD IN ASTROLOGUM EUMDEM.

E_45 v.1 Sidera vestigans inter caelestia demens,
 2 cur dubia semper mente quid uxor agat ?
 3 Si nescis qualis tibi sit, crede esse pudicam.
 4 Quod tibi persuades si bene, jam bene habes.
 5 Quid cognoscere vis, quae non nisi cognita laedunt ?
 6 Quid fieri studio vis miser ipse tuo ?
 7 Hic furor haud dubie est, cum jam desistere possis,
 8 quaerere sollicite quod reperire times,

ALIUD IN ASTROLOGUM.

E_46 v.1 Saturnus procul est, jamque olim caesus, ut aiunt,
 2 nec prope discernens a puero lapidem.
 3 Luna verecundis formosa incedit ocellis,
 4 nec nisi virgineum virgo videre potes.
 5 Juppiter Europen, Martem Venus et Venerem Mars,
 6 Daphnen Sol, Hyrcen Mercurius recolit.
 7 Hinc factum astrologe est, tua cum capit uxor amantes,
 8 sidera significant ut nihil inde tibi.

DE FORMA, DILEMMA.

IAMBIS TRIMETRIS SCAZONTIBUS.

E_47 v.1 Quid forma confert, Hercules nihil cerno.
 2 Si ferveas, deformis ecce formosa est.
 3 Sin frigeas, formosa jam sit informis.
 4 Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

DE ASTROLOGO DE QUO SUPRA.

E_48 v.1 Saepe suam inspectis uxorem Candidus astris,
 2 praedicat en vates omnibus esse bonam.
 3 Inspectis iterum postquam uxor adultera fugit.
 4 Praedicit vates omnibus esse malam.

PARAENESIS AD VIRTUTEM VERAM.

E_49 v.1 Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,
 2 illico marcescens ut rosa verna cadit.
 3 Nec quemquam usque adeo placidis complectitur ulnis
 4 sors, ut non aliqua parte molesta premat.
 5 Imbibe virtutes et inania gaudia sperne.
 6 Sunt animi comites gaudia vera boni.

AD CONTEMPTUM HUIUS VITAE.

E_50 v.1 Nos velut instabiles ventus quatit omnis aristas,
 2 quolibet impellunt spes, dolor, ira, metus.
 3 Nil habet in rebus pondus mortalibus ullum.
 4 Momento pudor est si moveare levi.

MORTEM NON ESSE METUENDAM, CUM SIT FINIS MALORUM. E GRAECO.

E_51 v.1 Non stultum est mortem matrem timuisse quietis ?
 2 Quam fugiunt morbi maestaque pauperies ?
 3 Sola semel miseris sese mortalibus offert,
 4 nec quisquam est ad quem mors iterum rediit,
 5 at reliqui morbi varii multique vicissim
 6 nunc hunc, nunc illum, terque quaterque premunt.

IN EPISCOPUM QUEMDAM SORDIDUM AC PERPARCUM.

E_52 v.1 Vita Sibyllinos mea si duraret in annos,
 2 non bonitas umquam praesulis excideret.
 3 Jugera multa soli locat, amplas possidet urbes,
 4 centum stipatus progreditur famulis.
 5 Me tamen exigui census, cum nuper adirem,
 6 excipit, et vere comiter alloquitur.
 7 Quin abiens nigri gustarem ut pocula vini,
 8 e loculo clavem liberat ipse suo.

DE VICISSITUDINE FORTUNAE. E GRAECO.

E_53 v.1 Lubrica non servat certum fortuna tenorem,
 2 sed rotat instabilem caeca subinde rotam.
 3 Sternere summa libet, libet infima tollere. Rerum
 4 inque vicem nulla vertere lege vices.
 5 Maxima cum bona sunt, jam sunt mala proxima. Rursus
 6 maxima cum mala sunt, proxima jam bona sunt.
 7 Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,

8 ne cito venturis praemoriare bonis.

VITA BREVIS.

E_54 v.1 Non tibi vivacem furor est spondere senectam ?
 2 Cum non sit vitae certa vel hora tuae.
 3 Finge age Nestorium sis perventurus in aevum,
 4 longa tument multis tempora feta malis.
 5 Omnia ut effugias viridis quibus angitur aetas,
 6 taedia longa tibi curva senecta feret.
 7 Tu tamen ad seros (nulli quod contigit) annos
 8 ut venias, nullo percitus ante malo.
 9 Hoc tamen exiguum est. Ubi nunc tot Nestoris anni ?
 10 Ex tanto superest tempore nulla dies.

PATIENTIA.

E_55 v.1 Tristia qui pateris perfer. Sors tristia solvet.
 2 Quod si non faciat sors, tibi mors faciet.

VITA IFSA CURSUS AD MORTEM EST.

E_56 v.1 Nugamur, mortemque procul procul esse putamus.
 2 At mediis latet haec abdita visceribus.
 3 Scilicet ex illa qua primum nascimur hora
 4 prorepunt juncto vitaque morsque pede.
 5 Partem aliquam furtim qua se metitur, et ipsam
 6 surripit e vita quaelibet hora tua.
 7 Paulatim morimur, momento exstinguimur uno,
 8 ut lampas, oleo deficiente, perit.
 9 Ut nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est.
 10 Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

DIVES AVARUS PAUPER EST SIBI. E GRAECO.

E_57 v.1 Divitias animi solas ego judico veras.
 2 Qui rebus pluris se facit ipse suis,
 3 hunc adeo ditem hunc opulentum rite vocamus,
 4 magnarum quis sit qui videt usus opum.
 5 Calculus at si quem misere numerandus adurit,
 6 qui misere semper divitias cumulet.
 7 Hic ut apes parvo crebroque foramine fosso,
 8 sudat in alveolo, mel alii comedunt.

DILEMMA EPICURI.

E_58 v.1 Dejiciat miseram tibi nulla molestia mentem.
2 Si longa est, levis est. Si gravis est, brevis est.

CONTRA.

E_59 v.1 Dejicit heu miseram, prosternit et utraque mentem.
2 Longa nec ulla levis, nec gravis ulla brevis.

DE MORTE.

E_60 v.1 Somniat, hic ditem qui se putat esse, videtque
2 morte experrectus illico quam sit inops.

SOLA MORS TYRANNICIDA EST.

E_61 v.1 Duriter es quicumque viris oppressus iniquis,
2 spem cape. Spes luctus leniat alma tuos.
3 Versilis in melius vel te Fortuna reponet,
4 ut solet excussa nube nitere dies.
5 Aut libertatis vindex frendente tyranno,
6 eruet injecta mors miserata manu.
7 Auferet haec (quo plus tibi gratificetur) et illum,
8 afferet atque tuos protinus ante pedes.
9 Ille opibus tantis fastuque elatus inani,
10 ille ferox crebris ante satellitibus,
11 hic neque torvus erit, vultu nec ut ante superbo,
12 sed miser abjectus, solus, inermis, inops.
13 O quid vita tibi dedit umquam tale ? Vicissim
14 jam ridendus erit, qui metuendus erat.
15 O cor triste malis misere immersumque profundis
16 rumpere ! Sit poenae terminus iste tuae.
17 Sanguinolenta tuae dominae tua vulnera pande :
18 illa brevi est, quae nos dividet una duos.
19 Quam miser ergo diu sic, heu, lacrimabo querarque.
20 Mors, ades et tantis horrida solve malis.

IN AMICAM FOEDIFRAGAM JOCOSUM.

E_62 v.1 Dii melius, venere in hac quae somnia nocte ?
2 Tota semel mundi machina versa ruit.
3 Nec sua lux Phoebos constabat, nec sua Phoebe
4 jamque tumens omnem straverat aequor humum.
5 Majus adhuc mirum, vox en mihi dicere visa est
6 "Heus, tua jam pactam fregit amica fidem."

DE CUNICULO BIS CAPTO.

E_63 v.1 E rete extrahor, e digitis in rete relabor.
2 Heu semel heu fugi, bis miser ut caperer.

IN VIRGINEM MORIBUS HAUD VIRGINEIS.

E_64 v.1 Blanda, salax, petulans, audax, vaga, garrula virgo,
2 si virgo est, virgo est bis quoque quae peperit.

IN UXORES.

E_65 v.1 Hoc quisque dicit, rebus in mortalibus
2 quod tristius sit ac magis viros gravet,
3 natura nil produxit his uxoribus.
4 Hoc quisque dicit, dicit, at ducit tamen.
5 Quin sex sepultis, septimam ducit tamen.

IN EASDEM.

E_66 v.1 Res uxor gravis est, poterit tamen utilis esse,
2 si sua det propere se moriente tibi.

IN IMAGINEM DISSIMILEM. E GRAECO.

E_67 v.1 Haec tua quam nuper pinxit Diodorus imago,
2 cujusvis magis est quam tua, Menodote.

IN EAMDEM.

E_68 v.1 Sic se totum isthac expressit imagine pictor,
2 ut nulli tamsit, quam tibi dissimilis.

CHORIAMBICUM DE VITA SUAVI, E GRAECO.

E_69 v.1 Non est cura mihi Gygis,
2 qui rex Sardibus imperat.
3 Aurum non ego persequor,
4 reges non miser aemulor.
5 Curae est, barba suavibus
6 unguentis mihi perfluat.
7 Curae est, ut redolentibus
8 cingam tempora floribus
9 curae sunt hodierna mi,
10 nam quis crastina noverit ?

11 Tornato bene Mulciber
 12 argento mihi poculum.
 13 Jam nunc effice concavum,
 14 et quantum potes imbibum.
 15 Et fac illud ut ambient
 16 non currus neque sidera,
 17 Orion neque flebilis.
 18 Vites fac virides mihi.
 19 Botri fac mihi rideant
 20 pulchro cum Dionysio.

IN MEDICUM IMPOSTOREM, QUI GUTTULAM FICTI BALSAMI MAGNO VENDIDIT.

E_70 v.1 Febre laboranti medicus : "Feret o tibi certe
 2 aut nihil, aut tantum balsamus, inquit, opem.
 3 Sed nemo me praeter habet, perpaululum et ipse,
 4 gutta emitur libris non minus una decem.
 5 Nunc mihi quinque dabis, reliquas mihi quinque daturus
 6 sanus, ut has numquam te moriente, petam.
 7 Numquam rem facies, tanto in discrimine qui vis
 8 tam carae guttae ponere dimidium."
 9 Pacta placent, minimoque e vitro et sindone tecto,
 10 jacta petit gladii cuspidе gutta merum.
 11 Abluat ut vino mucronem aeger obsecrat : "Absit,
 12 inquit, adhuc libras bis habet ille decem."
 13 "Gutta, ait, una sat est, et erat satis unica tantum
 14 gutta potest." Unam vix bibit, et moritur.
 15 O nimis adverso contractum sidere pactum.
 16 Hinc guttae, hinc vitae dimidium periit.

IN FUCATAM. E GRAECO.

E_71 v.1 Tinguis capillos, femina. At qui scis, rogas ?
 2 Nigri fuere cum referres e foro.

IN IMAGINEM MALE PICTAM.

E_72 v.1 Effigie studuit tua in hac ostendere pictor,
 2 expressisse queat quam tibi dissimilem.

IN EAMDEM.

E_73 v.1 Hac tua tam vere est facies expressa tabella,
 2 ut jam non tabula haec sit tibi, sed speculum.

IN EAMDEM.

E_74 v.1 Quam mihi monstrasti demiror, Posthume, pictor,
 2 effigiem quanta finxerat arte tuam.
 3 Inspicit hanc quisquis, si te conspexerit umquam,
 4 si non artificis tangitur invidia.
 5 Tam similem hic ovo non esse fatebitur ovum,
 6 effigies haec est quam tibi dissimilis.

IN ANGLUM, GALLICAE LINGUAE AFFECTATOREM.

E_75 v.1 Amicus et sodalis est Lalus mihi,
 2 Britanniaque natus, altusque insula.
 3 At cum Britannos Galliae cultoribus
 4 Oceanus ingens, lingua, mores dirimant,
 5 spernit tamen Lalus Britannica omnia.
 6 Miratur expetitque cuncta Gallica.
 7 Toga superbit ambulans in Gallica,
 8 amatque multum Gallicas lacernulas.
 9 Zona, locello, atque ense gaudet Gallico,
 10 filtro, bireto, pileoque Gallico,
 11 et calceis, et subligare Gallico,
 12 totoque denique apparatu Gallico.
 13 Nam et unum habet ministrum, eumque Gallicum.
 14 Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia
 15 tractare quiret plus (opinor) Gallice,
 16 stipendii nihil dat, atque id Gallice.
 17 Vestitque tritis pannulis, et Gallice hoc.
 18 Alit cibo parvo, et malo, idque Gallice.
 19 Labore multo exercet, atque hoc Gallice.
 20 Pugnisque crebro pulsat, idque Gallice.
 21 In coetu et in via, et foro, et frequentia
 22 rixatur, objurgatque semper Gallice.
 23 Quid ? Gallice illud ? Imo semigallice.
 24 Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
 25 tam callet omnem, quam Latinum Psittacus.
 26 Crescit tamen sibique nimirum placet,
 27 verbis tribus si quid loquatur Gallicis.
 28 Aut Gallicis si quid nequit vocabulis,
 29 conatur id, verbis licet non Gallicis,
 30 sonoque saltem personare Gallico,
 31 palato hiante acutulo quodam sono,
 32 et feminae instar garrientis molliter,
 33 sed ore pleno, tamquam id impleant fabae,
 34 balbutiens videlicet suaviter
 35 pressis quibusdam litteris, Galli quibus
 36 ineptientes abstinent, nihil secus,
 37 quam vulpe Gallus, rupibusque navita.
 38 Sic ergo linguam ille et Latinam Gallice,
 39 et Gallice linguam sonat Britannicam.

40 Et Gallice linguam refert Lombardicam.
 41 Et Gallice linguam refert Hispanicam.
 42 Et Gallice linguam sonat Germanicam,
 43 et Gallice omnem, praeter unam Gallicam.
 44 Nam Gallicam solam sonat Britannice.
 45 At quisquis insula satus Britannica,
 46 sic patriam insolens fastidiet suam.
 47 Ut more simiae laboret fingere,
 48 et aemulari Gallicas ineptias,
 49 ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
 50 Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur,
 51 sic, Dii, jubete, fiat ex gallo capus.

IN NICOLAUM MALUM MEDICUM.

E_76 v.1 Nunc video haud rerum tantum, sed et ipsa virorum
 2 nomina, non temere, sed ratione dari.
 3 Nicolaus nomen medici est. Qui convenit ? inquis,
 4 hoc potius nomen debuit esse ducis.
 5 Dux populos armis vincit. Sed et iste venenis
 6 et populum et fortes sternit ubique duces.
 7 Saepe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat
 8 huic medico, vero est nomine Nicolaus.

IN IMAGINEM ELEGANTEM, SED DEFORMISSIMI.

E_77 v.1 Ipsam, iudice me, Venerem superabat Apellis,
 2 haec tua quae visa est nuper imago mihi.
 3 Pictor in hanc omnes unam consumpserat artes,
 4 spectari hac una quid valuit, voluit.
 5 Qualia in ore decor, qui nasus, qualia labra,
 6 o quales oculi, qualis ubique color.
 7 Tam fuit ex omni longe pulcherrima parte,
 8 quam fuit a nulla parte tibi similis.

IN IMAGINEM DISSIMILEM.

E_78 v.1 Nuper ut ingredior pictoris forte tabernam,
 2 effigies oculis est tua visa meis.
 3 Ex te dum pictor sic exprimat : "Omnia, vultum
 4 immotum credo te tenuisse diu.
 5 Sic te totum inspecta refert." Intellego cuja est
 6 protinus ut pictor rettulit esse tuam.

IN PARCUM MORIENTEM.

E_79 v.1 Chrysalus, heu , moritur dives, dolet, ingemit, umquam

2 nemo magis tristi pectore fata tulit.
 3 Non quoniam ipse perit, cui nil se vilius ipso est,
 4 sed nummi pereunt quattuor in tumulum.

IN GRAMMATICUM PUTIDUM.

E_80 v.1 Cum mihi grammaticus mentem subit Heliodorus,
 2 nostra soloecismos illico lingua timet.

IN PROGNOTEN RIDICULUM.

E_81 v.1 Hoc anno in regno rex nobilis ille quiescet
 2 Gallorum, celebrer scripserat astrologus.
 3 Rex ubi vix coepto vita defungitur anno,
 4 jam nil se vates quo tueatur, habet.
 5 Rem quidam prorsum coepit defendere : "Verum est
 6 augurium, rex jam nonne quievit ?" ait.
 7 Latius hoc verbum proreperit, et undique ridens
 8 id populus. "Rex jam nonne quievit ?" ait
 9 audit ut in populo hoc vates, jam serio "Verum est
 10 augurium, rex jam nonne quievit ?" ait.

IN VEHEMENTER NASUTUM. E GRAECO.

E_82 v.1 Numquam, Procle, manu nares emungere possis.
 2 Nam tua nare manus magna licet minor est.
 3 Quando Jovem inclamas sternutans, quippe nec audis
 4 tam procul ab nasus prominet aure tuus.

IN POETAM FURIOSUM.

E_83 v.1 Sunt etiam in Musis furiae, quibus ipse poeta
 2 fis, per quas temere carmina multa facis.
 3 Ergo age, plurima scribe, precor. Tibi nempe furorem
 4 non ego majorem quem precer ingenio.

IN PERPUSILLUM. E GRAECO.

E_84 v.1 Grus ne re rapiat Pygmaeo sanguine gaudens,
 2 si sapias, media tutus in urbe mane.

NEGLIGENDOS VULGI RUMORES. E GRAECO,

E_85 v.1 Tu te ipsum oblectes, et vulgi verba loquacis
 2 sperne. Bene hic de te dicet, et ille male.

IN FATUUM. E GRAECO.

E_86 v.1 Quem mordent pulices exstinguit Morio lychnon,
2 "Non me, inquit, cernent amplius hi pulices."

DE SOMNO. E GRAECO. SENTENTIA ARISTOTELIS.

E_87 v.1 Ferme dimidium vitae dormitur. In illo
2 aequales spatio dives inopsque jacent.
3 Ergo, Croese, tibi, regum ditissime, vitae
4 ferme dimidio par erat Irus egens.

ALIUD.

E_88 v.1 Non es dum in somno es, dum nec te vivere sentis,
2 felix. At somnus ni veniat, miser es.
3 Qui felix igitur, sorte indulgente, superbit,
4 inflatusque levi prosperitate tumet,
5 Nox quoties venit, aut toties jam desinit esse
6 felix, aut toties incipit esse miser.

QUID INTER TYRANNUM ET PRINCIPEM.

E_89 v.1 Legitimus immanissimis
2 rex hoc tyrannis interest.
3 Servos tyrannus quos regit,
4 rex liberos putat suos.

SOLLICITAM ESSE TYRANNI VITAM.

E_90 v.1 Magna diem magnis exhaurit cura tyrannis,
2 nocte venit requies, si tamen ulla venit.
3 Nec tamen hi pluma requiescunt mollius ulla,
4 in dura pauper quam requiescit humo.
5 Ergo, tyranne, tibi haec pars felicissima vitae est,
6 in qua mendico par tamen esse velis.

BONUM PRINCIPEM ESSE PATREM, NON DOMINUM. IAMBICUM.

E_91 v.1 Princeps pius numquam carebit liberis,
2 totius est regni pater.
3 Princeps abundat ergo felicissimus
4 tot liberis, quot civibus.

DE BONO REGE ET POPULO.

E_92 v.1 Totum est unus homo regnum, idque cohaeret amore.
 2 Rex caput est, populus cetera membra facit.
 3 Rex quot habet cives (dolet ergo perdere quemquam)
 4 tot numerat partes corporis ipse sui.
 5 Exponit populus sese pro rege, putatque
 6 quilibet hunc proprii corporis esse caput.

BONA NON COGNOSCI, NISI DUM AMITTUNTUR.

E_93 v.1 Perdendo bona nostra fere cognoscimus omnes.
 2 Dum possidemus, spernimus.
 3 Sic populo quoque saepe malus, sed sero benignum
 4 commendat haeres principem.

TYRANNUM IN SOMNO NIHIL DIFFERRE A PLEBEIO.

E_94 v.1 Erigit ergo tuas insane superbia cristas,
 2 quod flexo curvat se tibi turba genu.
 3 Quod populus nudo surgat tibi vertice, quod sit
 4 multorum in manibus vitaque morsque tuis.
 5 At somnus quoties artus adstringit inertes,
 6 haec tua jam toties gloria dic ubi sit ?
 7 Tunc ignave jaces trunco non impar inani.
 8 Aut paulo functis ante cadaveribus.
 9 Quod nisi conclusus timide intra tecta lateres,
 10 in cujusque foret jam tua vita manu.

DE PRINCIPE BONO ET MALO.

E_95 v.1 Quid bonus est princeps, canis est custos gregis inde
 2 qui fugat ore lupos. Quid malus ? Ipse lopus.

IN RAPTOREM ET PATRONUM.

E_96 v.1 Raptam se queritur virgo, crimenque negari
 2 non potuit. Raptor jam periturus erat.
 3 Callidus at subito patronus protrahit ipse
 4 membrum deducta veste virile rei,
 5 "Hoccine, virgo, tua membrum fuit, inquit, in alvo ?"
 6 Illa verecundo mota pudore negat.
 7 "Vicimus, o judex, clamat patronus. Ea ipsa est.
 8 Id negat en sine quo se negat ipsa rapi."

IN FUREM ET PATRONUM.

E_97 v.1 Dum furti metuit damnari Clepticus, amplo
 2 non sine consuluit munere causidicum
 3 sic ubi saepe diuque immensa volumina volvit
 4 "Spero, ait, effugies, Cleptice, si fugias."

IN ASTROLOGUM QUI FACTUM PRAEDIXIT. E GRAECO.

E_98 v.1 Saepe patri frater quod debuit esse superstes,
 2 hoc velut uno omnes astrologi ore canunt.
 3 Ast Hermocliides obiturum prae patre solus
 4 dixit, sed dixit postquam obiisse videt.

IN HUIUS VITAE VANITATEM.

E_99 v.1 Damnati ac morituri in terrae claudimur omnes
 2 carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit.
 3 Carceris in multas describitur area partes,
 4 inque aliis alii partibus aedificant,
 5 Non aliter quam de regno de carcere certant,
 6 in caeco cupidus carcere condit opes,
 7 carcere obambulat hic vagus, hic vincitur in antro,
 8 hic servit, regit hic, hic canit, ille gemit.
 9 Jam quoque dum carcer non tamquam carcer amatur,
 10 hinc aliis alii mortibus extrahimur.

REGEM NON SATELLITIUM, SED VIRTUS REDDIT TUTUM.

E_100 v.1 Non timor invisus, non alta palatia regem,
 2 non compilata plebe tuentur opes,
 3 non rigidus vili mercabilis aere satelles
 4 qui, sic alterius fiet ut hujus erat.
 5 Tutus erit populum, qui sic regit, utiliorem
 6 ut populus nullum censeat esse sibi.

POPULUS CONSENTIENS REGNUM DAT ET AUFERT.

E_101 v.1 Quicumque multis vir viris unus praeest
 2 hoc debet his quibus praeest.
 3 Praeesse debet neutiquam diutius
 4 hi quam volent quibus praeest.
 5 Quid impotentes principes superbiunt ?
 6 Quod imperant precario ?

IN PERPUSILLUM. E GRAECO.

E_102 v.1 Ex atomis Epicurus totum fabricat orbem.
 2 Alchime, dum nihil his credidit esse minus,
 3 ex te fecisset si tum, Diophante, fuisses,
 4 nempe atomis multo es tu, Diophante, minor.
 5 Aut forte ex atomis jam cetera scriberet esse,
 6 ast ipsas ex te scriberet esse atomos.

IN AMOREM CASTUM ET INCESTUM. E GRAECO.

E_103 v.1 Hi duo detraxere duos incestus et almus,
 2 dum contra occurrunt hinc amor, inde pudor.
 3 Phaedram amor Hippolyti consumpserat igneus, ipsum
 4 interimitque sacer, proh pudor, Hippolytum.

IN URBEM ROMAM. E GRAECOS

E_104 v.1 Gradivi genus Hector ave, si quid sub humo audis,
 2 respira, et patriae nomine cresce tuae.
 3 Ilios urbs colitur, nunc inclyta, gens colit illam,
 4 quam tu Marte minor, Martis amica tamen.
 5 Myrmidones periere, ades et dic Hector Achilli,
 6 esse sub Aeneadis undique Thessaliam.

DE MEDIOCRITATE. E GRAECO.

E_105 v.1 Ingratum est quicquid nimium est. Sic semper amarum est,
 2 ut verbum vetus est, mel quoque si nimium est,

IN VEHEMENTER INFELICEM. E GRAECO.

E_106 v.1 Numquam vixisti, o pauper, numquam morieris.
 2 Nempe miser visus vivere mortuus es.
 3 At quibus immensa est fortuna, pecunia multa,
 4 his vitae finem mors aliquando facit.

IN PYTHAGORAE ECHEMYTHIAM. E GRAECO.

E_107 v.1 Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
 2 testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
 3 Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere.
 4 Magnum hoc ad requiem pharmacon inveniens.

RIDICULUM IN GELLIAM.

E_108 v.1 Quid modo saeclorum miremur monstra priorum,
 2 quod loquitur taurus, quod cadit imbre lapis.
 3 Monstra antiqua novum superat. Surrexerat ecce,
 4 ante tenebrosum Gellia vesper heri,
 5 plus dicturus eram, nisi me ridere putares,
 6 surrexit mediam, sed tamen ante diem,
 7 mira licet saepe illa tamen videre priores,
 8 saepe potest forsitan cernere posteritas,
 9 istud at hesternam nemo umquam viderat ante,
 10 et post hanc poterit nemo videre diem.

IN PALLADEM, VENEREMQUE. E GRAECO.

E_109 v.1 Cur ita me laedis Venerem Tritonia virgo,
 2 corripis in digitos, cur mea dona tuos ?
 3 Scilicet Idaeis memor esto in rupibus olim.
 4 Me non te pulchram censuit esse Paris.
 5 Hasta tua est ensisque tuus, mihi vendico malum.
 6 Mars modo fit malo pristinus ille satis.

VITAM HOMINIS ESSE NIHIL.

E_110 v.1 Nos tenuem strictis spirantes aera fibris,
 2 vivimus et Phoebi lampada conspicimus.
 3 Quotquot vivimus hic sumus omnes organa, quae<que) (vers
 4 vivificis animat flatibus aura levis, lacuneux)
 5 quot tua si tenuem restringat palma vaporem
 6 eripiens animam miserit usque Stygem.
 7 Sic sumus ergo nihil. Plutoni pascimur omnes,
 8 et flatu minimo nos levis aura fovet.

IN PUGIONEM HEBETEM HEBETIS. E GRAECO.

E_111 v.1 Plumbeus hic mucro tuus est obtusus, hebesque,
 2 mucro aciem ingenii fert tuus iste tui.

DE GLORIA ET POPULI JUDICIO.

E_112 v.1 Maxima pars hominum fama sibi plaudit inani,
 2 atque levis vento fertur in astra levi.
 3 Quid populi tibi voce places ? Saepe optima caecus,
 4 dat vitio, et temere deteriora probat.
 5 Sollicitus pendes alieno semper ab ore.
 6 Ne laudem cerdo quam dedit eripiat.
 7 Fors tamen irridet quo tu laudante superbis.

8 Ex animo laudet : laus tamen illa fugit.
 9 Quid tibi fama facit ? Toto lauderis ab orbe,
 10 articulus doleat, quid tibi fama facit ?

RIDICULUM IN MINISTRUM.

E_113 v.1 Muscas e cratere tulit conviva priusquam
 2 ipse bibit, reddit rursus, ut ipse bibit.
 3 Addidit et causam "Muscas ego non amo, dixit,
 4 sed tamen e vobis nescio num quis amet."

DE CANE VENANTE.

E_114 v.1 Os canis implet anas alium capturus hiabat,
 2 non capit. At quam jam ceperat ore fugit.
 3 Sic miser interea dum rem captas alienam,
 4 saepius et merito perdis, avare, tuam.

CANIS IN PRAESEPI, AVARUS HOMO.

E_115 v.1 In praesepe canis feno nec vescitur ipse,
 2 nec sinit ut fenum qui cupit edat equus.
 3 Servat avarus opes, opibus non utitur ipse,
 4 atque alios uti qui cupiunt, prohibet.

IN ORESTEM PARANTEM OCCIDERE MATREM.

E_116 v.1 Qua gladium intrudes per ventremne anne papillas ?
 2 Te peperit venter, te lactavere papillae.

QUID PAUCIS ORANDUS DEUS.

E_117 v.1 Da bona sive rogere deus, seu nulla rogere,
 2 et procul a nobis mala quaeque petentibus aufer,
 3 et mala sive petare nega, seu nulla petare.

IN DIGAMOS. E GRAECO.

E_118 v.1 Qui capit uxorem defuncta uxore secundam,
 2 naufragus in tumido bis natat ille freto.

IN FATUM. E GRAECO.

E_119 v.1 Si ferris ferre et fer. Sin irasceris, et te

2 laeseris, et quod fert te feret, immo trahet.

DE SOMNO AEQUANTE PAUPEREM CUM DIVITE.

E_120 v.1 Somne quies vitae spes et solamen egenis,
 2 divitibus noctu, quos facis esse pares.
 3 Tristia demulcens Lethaeo pectora rore,
 4 excutis et sensum totius inde mali.
 5 Laeta benignus opes inopi somnia mittis.
 6 Quid falsas rides dives opes inopis ?
 7 Divitibus vere curas, tormenta, dolores,
 8 pauperibus false gaudia vera ferunt.

IN DEFORMEM ET IMPROBUM. E GRAECO

E_121 v.1 Pingere difficile est animum, depingere corpus
 2 hoc facile est, in te sunt tamen ambo secus.
 3 Nam pravos animi mores natura revelans,
 4 fecit ut emineant undique perspicui.
 5 Sed formae portenta tuae deformia membra
 6 quis pingat ? Quando haec cernere nemo velit ?

IN CAPPADOCEN VIRULENTUM. E GRAECO,

E_122 v.1 Vipera Cappadocem mordens mala protinus hausto,
 2 tabifico periit sanguine Cappadocis.

IN STATUAM FERREAM. E GRAECO.

E_123 v.1 Effigiem statuere tibi rex perditor orbis
 2 ex ferro, ut longe vilius aere foret.
 3 Hoc fecere fames, caedes, furor aeris, egestas,
 4 haec tua, quis omnes perdit avaritia.

VERSUS IAMBICI DIMETRI BRACHYCATALECTICI
 AD CANDIDUM, QUALIS UXOR DELIGENDA.

E_124 v.1 Jam tempus id perit
 2 monetque, Candide,
 3 vagis amoribus
 4 tandem renunties,
 5 tandemque desinas
 6 incerta Cypridis
 7 sequi cubilia.
 8 Quaerasque virginem,
 9 quam rite jam tibi

10 concorde vincias
11 amore conjugem,
12 quae jam genus tuum,
13 quo nil beatius,
14 fecunda dulcibus
15 natis adaugeat,
16 pater tibi tuus
17 hoc ante praestitit
18 quod a prioribus
19 prius receperis
20 non absque fenore
21 repende posteris.
22 Non sit tibi tamen
23 haec cura maxima
24 spectare, Candide,
25 quid dotis afferat,
26 quam sitve candida,
27 infirmus est amor,
28 quem stultus impetus
29 decore concitus
30 parit, vel improbus
31 ardor pecuniae.
32 Quicumque amaverit
33 propter pecuniam
34 amatur huic nihil
35 praeter pecuniam.
36 Capta pecunia
37 vanescit illico,
38 item fugax amor,
39 fereque jam prius
40 perit quam nascitur.
41 At nec pecunia,
42 quam avarus antea
43 miser cupiverat,
44 juvare postea
45 quicquam potest, ubi
46 quam non amaverit
47 invitus. Attamen
48 omnino cogitur
49 tenere conjugem.
50 Quid forma ? Numquid haec
51 vel febre decidit ?
52 Annisve deperit ?
53 Ut sole flosculus
54 tum defluentibus
55 genae coloribus.
56 Amor ligaverant
57 quem haec sola vincula
58 solutus aufugit.
59 At verus est amor,
60 quem mente perspicax,

61 ratione consule
62 prudens iniverit.
63 Et quem bono omine
64 virtutis indutae,
65 quae certa permanens
66 Non febre decidit,
67 annisve deperit,
68 respectus efficit.
69 Primum ergo quam voles
70 amice ducere.
71 Quibus patentibus
72 sit orta perspice.
73 Ut mater optimis
74 sit culta moribus,
75 cujus tenellula
76 mores puellula
77 insugat, exprimat.
78 Quam ducis, hoc vide,
79 ut ore virginis
80 insit serenitas,
81 ab ore virginis
82 absitque torvitas.
83 At rursus ut tamen
84 sit in genis pudor,
85 nec ore virginis
86 insit procacitas,
87 et sit quieta, nec
88 cingat salacibus
89 viros lacertulis,
90 vultu modesta sit,
91 nec spectet undique
92 vagis ocellulis.
93 Proculque stulta sit
94 parvis labellulis
95 semper loquacitas.
96 Proculque rusticum
97 semper silentium.
98 Sit illa vel modo
99 instructa litteris,
100 vel talis ut modo
101 sit apta litteris.
102 Felix, quibus bene
103 priscis ab optimis
104 possit libellulis
105 vitam beantia
106 haurire dogmata.
107 Armata, cum quibus
108 nec illa prosperis
109 superba turgeat,
110 nec illa turbidis
111 misella lugeat

112 prostrata casibus
113 jucunda sic erit
114 semper, nec umquam erit
115 gravis, molestave
116 vitae comes tuae.
117 Quae docta parvulos,
118 docebit et tuos
119 cum lacte litteras
120 olim nepotulos.
121 Jam te juvaverit
122 viros relinquere,
123 doctaeque conjugis
124 sinu quiescere.
125 Dum grata te fovet,
126 manuque mobili.
127 Dum plectra personat,
128 et voce qua nec est
129 Progne sororculae
130 tuae suavior.
131 Amoena cantilat
132 Apollo quae velit
133 audire carmina
134 jam te juvaverit
135 sermone blandulo
136 docto tamen, dies
137 noctesque ducere.
138 Notare verbula
139 mellita maximis
140 non absque gratiis
141 ab ore melleo
142 semper fluentia,
143 quibus coherceat.
144 Si quando te levet
145 inane gaudium,
146 quibus levaverit,
147 si quando deprimat
148 te maeror anxius
149 certabit, in quibus
150 summa eloquentia.
151 Jam cum omnium gravi
152 rerum scientia.
153 Talem olim ego putem,
154 et vatis Orphei
155 fuisse conjugem.
156 Nec umquam ab inferis
157 curasset improbo
158 labore feminam
159 referre rusticam,
160 talemque credimus
161 Nasonis inclytam,
162 quae vel patrem queat

163 aequare carmine,
164 fuisse filiam.
165 Talemque suspicor
166 qua nulla carior
167 umquam fuit patri,
168 quo nemo doctior
169 fuisse Tulliam.
170 Talisque quae tulit
171 Gracchos duos fuit
172 quae quos tulit bonis
173 instruxit artibus.
174 Hoc profuit minus
175 magistra quam parens
176 quid prisca saecula,
177 tandem revolvimus ?
178 Utcumque rusticum,
179 unam tamen tenet
180 nostrumque virginem
181 tenet, sed unicam.
182 At sic ut unicam
183 plerisque praeferat.
184 Cuique conferat
185 ex his fuisse, quae
186 narrantur omnibus
187 tot retro saeculis,
188 quae nunc et ultimam
189 monet Britanniam
190 perlata penulis
191 fame volucris.
192 Laus atque gloria
193 orbis puellula
194 totius unica,
195 ac non modo suae
196 Cassandra patriae.
197 Dic ergo, Candide,
198 si talis et tibi
199 puella nuberet,
200 quales ego tibi
201 supra recensui.
202 Desit licet queas
203 formam requirere.
204 Dotisve quod parum
205 lucrere conqueri,
206 sic sermo verus est,
207 quaecumque sit satis
208 est bella quae placet,
209 nec quisquam habet magis,
210 quam qui sibi satis
211 quodcumque habet, putat.
212 Sic nunc me amet mea,
213 ut nil ego tibi

214 amice mentiar.
 215 Cuicumque gratiam
 216 formae negaverit
 217 natura virgini.
 218 Certe licet siet
 219 carbone nigrrior.
 220 Foret tamen mihi hac
 221 virtutis indole
 222 olore pulchrior.
 223 Cuicumque lubrica
 224 dotem negaverit.
 225 Fortuna virgini
 226 certe siet licet
 227 vel Iro egentior
 228 foret tamen mihi hac
 229 virtutis indole
 230 te, Croese, ditior.

RIDICULUM IN MINACEM.

E_125 v.1 Thrasonis uxorem Bubulcus rusticus
 2 absente eo vitiaverat.
 3 Domum reversus miles ut rem comperit,
 4 armatus et ferus insilit.
 5 Tandem assecutus solum in agris rusticum,
 6 "Heus, clamat, heus, heus furcifer."
 7 Restat bubulcus, saxaque in sinum legit.
 8 Ille ense stricto clamitat
 9 "Tu conjugem meam attigisti, carnifex ?"
 10 Respondit imperterritus :
 11 "Feci, fateris", inquit ? "At ego omnes deos
 12 deasque testor o scelus,
 13 in pectus hunc ensem tibi capulo tenus,
 14 ni fassus esses, abderem."

DE MEDIOCRITATE. E GRAECO.

E_126 v.1 Agros ego haud porrectiores appeto
 2 non auream aut Gygis beatitudinem.
 3 Quae sit satis sibi, vita sat eadem est mihi,
 4 illud nihil nimis, nimis mihi placet.

HECTOR MORIENS. E GRAECO,

E_127 v.1 Projicitote meum Danai post fata cadaver,
 2 nam metuunt lepores occisi membra leonis.

IN STULTUM POETAM.

E_128 v.1 Scripserat Aeneam nulli pietate secundum,
 2 vates secundus nemini.
 3 Quidam igitur regem dum vult laudare, Maronem
 4 pulchre aemulatus scilicet :
 5 "Hic hic est, inquit, princeps cui nemo secundus."
 6 Hac laude rex indignus est,
 7 ipse sed est vates dignissimus. Ergo age demus
 8 utrique laudem debitam.
 9 Hic hic est igitur vates, cui nemo secundus,
 10 rex qui secundus nemini.

IN QUEMDAM QUI SCRIPSERAT HYMNOS DE DIVIS PARUM DOCTE,
 TESTATUS IN PRAEFATIONE SE EX TEMPORE SCRIPSISSE,
 NEC SERVASSE LEGES CARMINUM, ET ARGUMENTUM NON RECIPERE ELOQUENTIAM.

E_129 v.1 Hic sacer Andreae cunctos ex ordine fastos
 2 perstringit mira cum brevitate liber.
 3 Ipsos quos cecinit superos dum scriberet omnes,
 4 credibile est vati consuluisse suo.
 5 Nam subito scripsit, sed sic ut scribere posset
 6 quantumvis longo tempore non melius.
 7 Et pia materia est priscisque intactus ab ipsis
 8 servatus fato est huic operi iste stilus,
 9 seque qui ad numeros non anxius obligat omnes,
 10 hoc quoque non vitio, sed ratione facit.
 11 Majestas operis metro esse obnoxia non vult,
 12 nempe ibi libertas est, ubi spiritus est,
 13 ipsa operis pietas indocto sufficit. At tu
 14 Castalio quisquis fonte bibisse soles,
 15 singula si trutines, erit hinc tibi tanta voluptas
 16 quanta tibi ex alio non fuit ante libro.

IN STRATOPHONTA PUGILEM IGNAVUM. E GRAECO.

E_130 v.1 Dux Ithacus, patria bis denos abfuit annos.
 2 Cum rediit, celeri cognitus usque cani est.
 3 Te, pugil o Stratophon, certantem quattuor horas,
 4 et canis et populus dedidicere simul.
 5 Quin etiam speculum de te si consulis ipse.
 6 Juratus Stratophon te Stratophonta neges.

IN PUGILEM IGNAVUM. E GRAECO.

E_131 v.1 Nesimus ecce pugil vatem consultat Olympum,
 2 an ventura sibi sera senecta foret.

3 "Fors rude donatus vives, ait ille , minatur
4 certanti gelidus sed tibi falce deus."

IN PARASITUM. E GRAECO.

E_132 v.1 Stare putes stadio Eutychides cum curreret, at, cum
2 curreret ad cenam, nempe volare putes.

IN BIBONEM. E GRAECO.

E_133 v.1 Serta, unguenta, meo ne gratificare sepulchro
2 vina, focus, lapidi sumptus inanis erit.
3 Haec mihi da vivo, cineres miscere falerno,
4 nempe lutum facere est, non dare vina mihi.

IN BIBONEM. E GRAECO.

E_134 v.1 E terra genitus, sub terram morte recondar,
2 ergo lagena mihi terrea, plena veni.

IN MULIEREM FOEDAM. E GRAECO.

E_135 v.1 Te speculum fallit, speculum nam, Gellia, verum,
2 si semel inspiceres, numquam iterum inspiceres.

IN FOEDAM. E GRAECO.

E_136 v.1 Fugerit ad Parthos vel ad Herculis usque columnas,
2 visa semel, positus vestibus, Antipatra.

IN FOEDAM. E GRAECO.

E_137 v.1 Qui miser uxorem deformem duxit, habebit
2 vespere, jam accenso lumine, adhuc tenebras.

IN BARBA TANTUM PHILOSOPHUM. E GRAECO.

E_138 v.1 Si promissa facit sapientem barba, quid obstat
2 barbatus possit quin Caper esse Plato ?

DE LICENTIA.

E_139 v.1 Ultra concessos indulta licentia fines

2 provehitur celeri, non revocanda, gradu.
3 Si patiare pedem calcet tibi vespere conjunx,
4 calcabit surgens haec tibi mane caput.

EPITAPHIUM ABYNGDONII CANTORIS.

E_140 v.1 Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
2 nobilis Henricus cantor Abyngdonius.
3 Unus erat, nuper mira qui voce sonaret,
4 organa qui scite tangeret, unus erat.
5 Vellensis primo templi decus, inde sacellum
6 Rex illo voluit nobilitare suum.
7 Nunc illum Regi rapuit deus, intulit astris.
8 Ipsis ut nova sit gloria caelitibus.

ALTERUM DE EODEM.

E_141 v.1 Hic jacet Henricus, semper pietatis amicus.
2 Nomen Abyngdon erat, si quis sua nomina quaerat.
3 Wellis hic ecclesia fuerat succentor in alma.
4 Regis et in bella cantor fuit ipse capella.
5 Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
6 Praeter et haec ista, fuit optimus orgaquenista.
7 Nunc igitur, Christe, quoniam tibi serviit iste
8 semper in orbe soli, da sibi regna poli.

IN JANUM HAEREDEM ABYNGDONII.

E_142 v.1 Scripsi elegum carmen, Jano me haerede rogante,
2 quod tumulum Henrici signet Abyngdonii.
3 Displicet, et doctis bene displicuisset, at illi
4 displicet hoc tantum si quid inest melius.
5 Non resonant isti versus, ait, illico sensi
6 quales lactucas talia labra petant.
7 Ridendos ergo ridens effutio versus.
8 Hos vorat applaudens Janus utraque manu.
9 Hos tumulo insculpsit, sub eundem protinus obdi,
10 Atque iisdem dignus versibus ipse legi.
11 Ante retroque bifrons Janus deus omnia vidit.
12 Talpa, effrons videt hic Janus utrimque nihil.

AD AULICUM.

E_143 v.1 Saepe mihi jactas faciles ad principis aures
2 liber, et arbitrio ludis ut ipse tuo.
3 Sic inter domitos sine noxa saepe leones,
4 luditur, ac noxae non sine saepe metu.

5 Infremit incerta crebra indignatio causa.
 6 Et subito mors est, qui modo ludus erat.
 7 Tuta tibi non est, ut sit segura voluptas
 8 magna tibi est, mihi sit dummodo certa, minor.

IN TYNDALUM DEBITOREM.

E_144 v.1 Ante meos quam credideram tibi, Tyndale, nummos,
 2 cum libuit, licuit te mihi saepe frui.
 3 At nunc si tibi me fors angulus offerat ullus,
 4 haud secus ac viso, qui pavet angue, fugis.
 5 Non fuit umquam animus mihi crede reposcere nummos
 6 non fuit, at ne te perdere cogar, erit.
 7 Perdere te salvo nummos volo, perdere utrumque
 8 nolo, sat alterutrum sit periisse mihi.
 9 Ergo tibi nummis aut te mihi redde retentis.
 10 Aut tu cum nummis te mihi redde meis.
 11 Quod tibi si neutrum placeat, nummi mihi saltem
 12 fac redeant, at tu non rediture, Vale.

IN MENDICUM GERENTEM SE PRO MEDICO.

E_145 v.1 Tu te fers medicum, nos te plus esse fatemur.
 2 Una tibi plus est littera quam "medico".

IN UXOREM IMPUDICAM.

E_146 v.1 Est fecunda mei fecunda est uxor Arati,
 2 nempe suo genuit ter sine feta viro.

IN PERPUSILLUM. E GRAECO,

E_147 v.1 Ut fugeret miserae Diophantus taedia vitae,
 2 usus Arachneo est stamine, pro laqueo.

DE PUELLA QUAE RAPTUM FINXIT.

E_148 v.1 Conspiceret solam juvenis cum forte puellam,
 2 et sibi oportunum crederet esse locum,
 3 improbus invitam cupidis amplectitur ulnis,
 4 basiaque et plusquam basia ferre parat.
 5 Illa reluctata est legemque irata minatur.
 6 Qua miser effuso sanguine raptor, obit.
 7 Instetit ille tamen juvenili ardore protervus,
 8 nunc precibus satagit, nunc superare metu.
 9 Non precibus, non illa metu superata, reclamat.

10 Calce petit, mordet dente manaque ferit.
 11 Ira subit juvenem jam paene libidine major,
 12 et ferus : "O demens siccine pergis, ait,
 13 per tibi ego hunc ensem juro - simul extulit ensem -
 14 commoda ni jaceas ac taceas, abeo."
 15 Illico succubuit tam tristi territa verbo
 16 atque "Age, sed quod agis, vi tamen, inquit, agis."

IN CHRYSALUM.

E_149 v.1 Chrysalus in silvis loculos cum conderet, haesit.
 2 Certa loci possent, quae sibi signa capi.
 3 At super ut summa raucum videt arbore corvum,
 4 "Hic mihi conspicua est", inquit, abitque, nota
 5 capti sola scopi redeuntem copia lusit,
 6 nam sua jam in quavis arbore signa videt.

IN ASTROLOGUM.

E_150 v.1 Dum tua quos noster celebrat pro vatibus error,
 2 fata cient positu sideris astrologi,
 3 haec dum stella favet, dumque haec tibi stella minatur,
 4 pendula mens inter spemque metumque tua est.
 5 Prospera seu venient, venient reticentibus illis.
 6 Assolet et subitum laetius esse bonum.
 7 Seu venient adversa, diu nescire juvabit.
 8 Usura et medii temporis usque frui.
 9 Quin jubeo fatis etiam prohibentibus ipsis
 10 fac tibi mens hilares transigat aequa dies.

IN CRUCE DIGNUM. E GRAECO.

E_151 v.1 Mastaurōn elementa tibi duo subtrahe prima,
 2 nemo te reliquis dignior esse potest.

EPITAPHIUM. E GRAECO.

E_152 v.1 Quattuor hic tumulus fratres complectitur, ex his,
 2 proh dolor, una duos lux parit, ac perimit.

E GRAECO.

E_153 v.1 Fortis erat bello Timocritus, hic jacet ergo.
 2 Fortibus haud parcis Mars fere, sed timidis.

E GRAECO.

E_154 v.1 Ista Neoclidæ gnatos habet urna gemellos
2 servitio hic patriam liberat, hic vitio.

AD QUEMDAM CUI UXOR MALA DOMI.

E_155 v.1 Uxor, amice, tibi est semper mala, cum male tractas
2 fit pejor, sed fit pessima, quando bene.
3 Sed bona si moriatur erit, melior tamen id si
4 te faciat vivo, ast optima si propere.

DE NAUTIS EJICIENTIBUS MONACHUM IN TEMPESTATE, CUI FUERANT CONFESSI.

E_156 v.1 Cum tumida horrissonis insurgeret unda procellis,
2 et maris in lassam ferveret ira ratem,
3 religio tumidis illabitur anxia nautis,
4 heu parat exclamant hoc mala vita malum.
5 Vectores inter Monachus fuit, hujus in aurem
6 se properant vitiis exonerare suis.
7 Ast ubi senserunt nihilo sibi mitius aequor,
8 sed rapido puppim vix superesse freto.
9 "Quid miri est, ait unus, aqua si vix ratis exstat,
10 nostrorum scelerum pondere adhuc premitur.
11 Quin monachum hunc, in quem culpas exhausimus omnes,
12 ejicite, et secum hinc crimina nostra ferat."
13 Dicta probant, rapiuntque virum, simul in mare torquent,
14 et lintrem levius quam prius isse ferunt.
15 Hinc hinc quam gravis est peccati sarcina, disce,
16 cujus non potuit pondera ferre ratis.

AD CANDIDUM, PAROCHUM VITAE IMPROBAE.

E_157 v.1 Factus es o populi pastor, mi Candide, magni,
2 ter tibi, terque tuo gratulor ergo gregi.
3 Aut mihi iudicium minuit favor, aut tuus usquam
4 non potuit talem grex habuisse patrem.
5 Non tibi vanarum est fastosa scientia rerum,
6 quippe nec in populum est utilis illa tuum.
7 At raræ tibi sunt virtutes, sic tibi raros
8 patribus ex priscis credo fuisse pares.
9 Quid faciant, fugiantve tui, quo cernere possint.
10 Vita potest claro pro speculo esse tua.
11 Tantum opus admonitu est, ut te intueantur, et ut tu
12 quæ facis, hæc fugiant. Quæ fugis, hæc faciant.

E GRAECO.

E_158 v.1 Naufragus hac situs est, jacet illa rusticus urna,
2 ad Styga sive solo par via, sive salo.

IN POSTHUMUM EPISCOPUM.

E_159 v.1 Praesul es et merito praefectus, Posthume, sacris,
2 quo magis in toto non erat orbe sacer.
3 Gaudeo tam magnum, tam sanctum gaudeo munus
4 tandem non temere nunc velut ante dari.
5 Nempe errare solet temerarius impetus, at te
6 delectum magna sedulitate patet.
7 Namque ubi de multis tantummodo sumitur unus,
8 saepe malus casu, pessimus arte venit.
9 At te, de multis legitur si millibus unus,
10 stultior haud possit, deteriorve legi.

DE BOLLANO.

E_160 v.1 Urticis lectum Bollano urentibus omnem
2 insternunt socii, cum cubiturus erat.
3 Se tamen urticis ustum negat, haud negat illas
4 in tenebris nudum se reperisse tamen.
5 Unguibus aut igitur vitata carne necesse est,
6 aut nudis tantum dentibus inciderint.
7 Cum tamen in tenebris illaesus repperit herbas,
8 urticas qua nam repperit esse nota.

DE VULPE AEGROTA ET LEONE APOLOGUS.

E_161 v.1 Dum jacet angusta vulpes aegrota caverna,
2 ante fores blando constitit ore Leo.
3 "Ecquid, amica, vales ? Cito me lambente valebis,
4 nescis inlingua vis mihi quanta mea."
5 "Lingua tibi medica est, vulpes ait. At nocet illud
6 vicinos quod habet tam bona lingua malos."

DE LEONE ET LYSIMACHO.

E_162 v.1 Dum domitus placido Leo lamberet ore magistrum,
2 provocat exemplo quemlibet ipse suo.
3 Cumque diu ex tanta prodiret nemo corona,
4 prosiliit forti pectore Lysimachus.
5 "Ipse, ait, audebo leoninam tangere linguam,
6 sed tam vicinis dentibus haud faciam."

IN FABIANUM ASTROLOGUM.

E_163 v.1 Uno multa die de rebus fata futuris,
 2 credula cum de te turba frequenter emat.
 3 Inter multa unum si fors mendacia verum est,
 4 illico vis vatem te, Fabiane, putem.
 5 At tu de rebus semper mentire futuris.
 6 Si potes hoc, vatem te, Fabiane, putem.

IN JACOBUM REGEM SCOTORUM.

E_164 v.1 Dum pius Henricus victricibus asserit armis
 2 Romano te iterum Gallia pontifici,
 3 Scotorum Jacobus regnum rex ecce Britannum
 4 occupat, infestis impius agminibus.
 5 Foedera non illum toties jurata morantur,
 6 conjugis in featrem quin ferat arma suae.
 7 Quin Gallo fidei comitem se adjungeret hosti,
 8 quin cuperet Petri mergere naviculam.
 9 Nec mirum est, scelera haec si vir conceperit, infans
 10 caede patris teneras imbuit ante manus.
 11 Ergo, volente Deo, periit cum strage suorum.
 12 Exitus et scelerum qui solet esse fuit.

IN REGEM SCOTIAE, QUI ARCEM NORHAMAM PRODITAM SIBI TAMEN OPPUGNAVIT,
DISSIMULANS PRODITAM ESSE.

E_165 v.1 Scote, quid oppugnas Norhamam viribus arcem,
 2 ante tibi falsa proditione datam.
 3 An fraudis pudet ? At tam multis et tot apertis
 4 in vitiis non est illa pudenda tuis.
 5 Artibus ergo malis capta fuit arce, voluptas
 6 magna tibi sorsan, sed brevis illa fuit.
 7 Teque, tuisque mala (merita sed) morte peremptis,
 8 arx intra est paucos capta, recepta dies.
 9 Proditor inque tuo peteret cum praemia regno,
 10 mors sceleri est merces reddita digna suo.
 11 Proditor ut pereat, pereat cui proditur hostis.
 12 Invicta in fatiis arx habet ista suis.

EPITAPHIUM JACOBI REGIS SCOTORUM.

E_166 v.1 Scotorum Jacobus princeps, regno hostis amico
 2 fortis et infelix hac ego condor humo.
 3 Quanta animi fuerat, fidei vis tanta fuisset.
 4 Cetera contigerant non inhonesta mihi.
 5 Sed pudet heu jactare, queri piget, ergo tacebo.

6 Garrulaque o utinam fama tacere velis.
 7 Vos tamen, o reges, moneo, rex nuper et ipse,
 8 ne sit (ut esse solet) nomen inane fides.

IN MALUM PICTOREM,

E_167 v.1 Exprimit egregia pictor mirabilis arte,
 2 dira canis pavitans ut fugit ora lepus.
 3 Intima naturae scrutatus viscera fingit,
 4 in cursu leporem retro metu aspicere.
 5 Tam bene qui leporem fugientem expresserit, opto
 6 sit lepus, et fugiens ipse retro aspiciat.

IN EUMDEM.

E_168 v.1 Cum cane sic pictus lepus est, ut dicere nemo
 2 esset uterve canis posset, uterve lepus.
 3 Pictor ubi hoc didicit, quod inertis defuit arti,
 4 supplevit miro callidus ingenio.
 5 Res ut aperta foret longeque facesseret error,
 6 subscripsit tantum : "Est hic canis, iste lepus".

DE TYNDARO.

E_169 v.1 Non minimo insignem naso dum forte puellam
 2 basiat, en voluit Tyndarus esse dicax.
 3 "Frustra, ait, ergo tuis mea profero labra labellis,
 4 nostra procul nasus distinet ora tuus."
 5 Protinus erubuit tacitaque incanduit ira,
 6 nempe parum salso tacta puella sale :
 7 "Nasus ab ore meus tua si tenet oscula, dixit,
 8 qua nasus non est hac dare parte potes."

IN BRIXIUM GERMANUM FALSA SCRIBENTEM DE *CHORDIGERA*, NAVE GALLORUM,
 ET HERVEO EJUS DUCE.

E_170 v.1 Hervea dum celebras, Brixi, tua carmina damnas.
 2 Nam tibi scripta mala est res bene gesta fide.
 3 Historiam spondes illa, Germane, poesi,
 4 quae modo cum non sit vera, nec historia est.
 5 Aut odio incipiant, aut indulgere favori,
 6 et quisnam historiis qui modo credit, erit ?
 7 Jamque nec ipse tuus per te laudem Herveus ullam
 8 sublata rerum possit habere fide.

IN EUNDEM. DE EODEM HERVEO, ET EADEM NAVE,
QUAE IN PUGNA NAVALI CONFLAGRAVIT.

E_171 v.1 Brixius immerita quod sustulit Hervea laude,
2 quod merito adversum fraudat honore ducem.
3 Quod de Chordigera mendacia mille carina,
4 contra quam sese res habuere, canat.
5 Non equidem miror, neque pravo falsa favore,
6 quod voluit prudens scribere, credo tamen.
7 Sed de Chordigera, vatem qui vera doceret,
8 quivit adhuc reducem nemo referre pedem.
9 Ipse tamen (sciret quo certius omnia) dignus,
10 qui media praesens nave fuisset erat.

VERSUS EXCERPTI E CHORDIGERA BRIXII,
AD QUOS ALLUDUNT QUAEDAM EPIGRAMMATA SEQUENTIA.

E_172 v.1 Circumeunt unum dextra laevaue Britanni
2 Hervea, tela volant brumali grandine plura
3 in caput unius Hervei, quae fortiter heros
4 excutiens clypeo, contraria in agmina vertit.

POSTEA DE EADEM CHORDIGERA.

E_173 v.1 Ipse suos Herveus comites hortatur et instat,
2 atque inter primos audax magno impete in hostes
3 invehitur, ferit hos misso per tempora telo.
4 Transigit huic gladio costas, huic ilia nudat,
5 decutit his caput, impacta per colla bipenni.
6 His latus, his humeros hasta perstringit acuta.

EPIGRAMMA MORI, ALLUDENS AD VERSUS SUPERIORES.

E_174 v.1 Quod ferit hos Herveus misso per tempora telo
2 iliaque et costas transigit huic gladio.
3 Decutit his caput impacta per colla bipenni,
4 his humeros hasta perforat, atque latus.
5 Tum clypeo adversa quod tela volantia parte
6 fortiter excutiens unde volant regerit.
7 Effugit hoc sensum, tot telis pugnet ut unus,
8 isque cui clipeo est altera onusta manus.
9 Fortis huic pugnae rerum natura repugnat,
10 praeteritum quiddam est hac puto parte tibi.
11 Namque ubi magnanimum produxeris Hervea, telis
12 pugnantem pariter quattuor, det clipeo.
13 Forte tibi exciderat, sed debuit ante moneri,
14 lector, tunc Herveo quinque fuisse manus.

ALIUD DE EODEM.

E_175 v.1 Miraris clypeum, gladium, hastam, tela, bipennem,
 2 Herveus quoque gerat belligeretque modo.
 3 Dexterâ crudeli manus est armata bipenni,
 4 instructa est gladio saeva sinistra suo.
 5 Jam telum telique vicem quae praebeat, hastam
 6 fortiter (impressis dentibus) ore tenet.
 7 At quia tela caput brumali grandine plura
 8 involitant, clypeum collocat in capite.
 9 Duritia capitis draco cesserit, ungue Celeno,
 10 sic elephas illi dentibus impar erat.
 11 Ergo novum adversos monstrum procurrit in hostes,
 12 terribilis rictu, terribilisque manu.

HIC PRIMUS VERSUS BRIXII EST,
 QUO HERVEA JAM MORITURUM DE SE FACIT VATICINANTEM.

E_176 v.1 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos
 2 Hervei magna canit Brixius acta ducis.
 3 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 4 Herveum, hostes, socios, concremat atque rates.
 5 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 6 unde igitur vates, quae cecinit, didicit ?
 7 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 8 Phoebeo reliquum est audiat ex tripode.

IN EUMDEM, VERSUS POETARUM SUFFURANTEM.

E_177 v.1 Priscos poetas nemo te colit magis
 2 legitve diligentius.
 3 Nam nemo priscis e poetis omnibus
 4 est, cujus ipse ex versibus,
 5 non hinc et inde flosculos et gemmulas
 6 manu capaci legeris.
 7 Vatem redonans tanto honore protinus,
 8 scriptis tuis ut inseras
 9 beasque vatem. Nempe quae tu congeris,
 10 suos parentes indicant,
 11 magisque resplendent tua inter carmina,
 12 quam nocte lucent sidera.
 13 Tantum decus vati invidere nemini
 14 soles, amicus omnium,
 15 ne quis, decus prioris olim saeculi,
 16 neglectus abs te defleat.
 17 Ergo sacrati ne poetarum modi
 18 longo situ obsolescerent,
 19 injuria tu vindicatos temporis

20 novo nitore percolis.
 21 Hoc est vetustis arte novitatem dare,
 22 qua re nihil felicius.
 23 Ars o beata, quisquis arte isthac tamen
 24 vetusta novitati dabit,
 25 is arte nulla (quamlibet sudet diu)
 26 novis vetustatem dabit.

ALLUSIO AD CENOTAPHIUM HERVEI.

E_178 v.1 Hervea cum Deciis unum conferre duobus,
 2 aetas te, Brixi, iudice nostra potest.
 3 Sed tamen hoc distant, illi quod sponte peribant,
 4 hic periit, quoniam non potuit fugere.

PHOEBUS BRIXIUM ALLOQUITUR.

E_179 v.1 Vis de grandisono quid sentio scire libello,
 2 qui arma necemque Hervei bellipotentis habet.
 3 Ergo sacer Phoebos sacra haec oracula vates
 4 accipe Phoebos reddita de tripode.
 5 Una opere in toto deest syllaba, mille supersunt.
 6 Plenu opus est, nam quid posset abesse minus ?
 7 Una uno haec legitur, sed non legitur tibi mense,
 8 et plus quam medium syllaba mensis habet.

AD SABINUM, CUI UXOR ABSENTI CONCEPIT.

E_180 v.1 Subsidium vitae, serae spes una senectae,
 2 nata tibi est soboles, curre, Sabine, domum.
 3 Curre, salutanda est uxor fecunda, videnda est.
 4 Cara tibi soboles, curre, Sabine, domum.
 5 Curre, inquam, ac propera nimiumque videbere lentus,
 6 quantumvis properes, curre, Sabine, domum.
 7 Jam queritur conjunx de te tua, jam tua de te
 8 conqueritur soboles, curre, Sabine, domum.
 9 Numquam ingratus ades, neque cum soboles tibi nata est,
 10 sed neque cum genita est, curre Sabine domum.
 11 Curre, ut adeste, puer sacro dum fonte lavatur,
 12 nunc saltem possis. Curre, Sabine, domum.

AD CANDIDUM, LAUDANTEM SANCTOS VIROS, CUM IPSE ESSET MALUS.

E_181 v.1 Saepe bonos laudas, imitaris, Candide, numquam.
 2 Laudo, inquis, posita Candidus invidia.
 3 Nam quicumque bonos imitatur, et aemulus idem est,
 4 o lacte, o nivibus, Candide, candidior.

QUIS OPTIMUS REIPUB. STATUS.

E_182 v.1 Quaeris uter melius, Rexne imperet, anve Senatus.
 2 Neuter (quod saepe est) si sit uterque malus.
 3 Sin sit uterque bonus, numero prostare Senatam,
 4 inque bonis multis plus reor esse boni.
 5 Difficile est numerum forsan reperire bonorum,
 6 sic facile est unum saepius esse malum.
 7 Et fuerit medius saepe inter utrumque Senatus,
 8 sed tibi vix umquam Rex mediocris erit.
 9 Consilioque malus regitur meliore Senator,
 10 Rex consultores sed regit ipse suos.
 11 Alter ut eligitur populo, sic nascitur alter.
 12 Sors hic caeca regit, certum ibi consilium.
 13 Illeque se factum populo, populum sibi factum
 14 scilicet hic ut sint quos regat ipse putat.
 15 Rex est in primo semper blandissimus anno,
 16 omni anno consul rex erit ergo novus.
 17 Rex cupidus longo populum corroserit aevo.
 18 Si consul malus est, spes melioris adest.
 19 Nec me nota movet quae pastam fabula muscam
 20 ferre jubet, subeat ne male pransa locum.
 21 Fallitur expleri regem qui credit avarum,
 22 numquam haec non vacuum mittet hirudo cutem.
 23 At patrum consulta gravis dissensio turbat,
 24 Regi dissentit nemo, malum hoc gravius.
 25 Nam cum de magnis varia est sententia rebus,
 26 quaestio sed tamen haec nascitur unde tibi ?
 27 Estne usquam populus, cui regem sive Senatam
 28 praeficere arbitrio tu potes ipse tuo ?
 29 Si potes hoc, regnas. Nec jam cui, consule, tradas
 30 imperium. Prior est quaestio, an expediat.

DE FUSCO POTORE.

E_183 v.1 Potando medicus perituros dixit ocellos
 2 Fusco, qui cum se consulisset, ait,
 3 "Perdere dulcius est potando quam ut mea servem
 4 erodenda pigris lumina vermiculis."

AD AMICUM.

E_184 v.1 Littera nostra tuis quantum mihi colligo scriptis,
 2 sera tibi veniet, nec tibi sera tamen.
 3 Nec bello veniunt intempestiva peracto,
 4 quae bello poterant tela juvare nihil.

DE REGE ET RUSTICO.

E_185 v.1 Rusticus in silvis nutritus venit in urbem,
 2 rusticior Fauno, rusticior Satyro.
 3 En populus plena stetit hinc, stetit inde platea,
 4 unaque vox tota "Rex venit" urbe fuit.
 5 Rusticus insolita vocis novitate movetur,
 6 quidnam ita respectet turba, videre cupit.
 7 Rex subito invehitur, celebri praeunte caterva,
 8 aureus excelso conspiciendus equo.
 9 Tum vero ingeminant "Vivat rex" undique regem
 10 attonito populus suspicit ore suum.
 11 Rusticus "O ubi rex ? Ubi rex est ? " Clamat, at unus,
 12 ille ait "Est illo qui sedet altus equo."
 13 "Hiccine rex ? Puto me derides", rusticus inquit.
 14 "Ille mihi picta veste videtur homo."

IN EPISCOPUM ILLITERATUM,
 DE QUO ANTE EPIGRAMMA EST SUB NOMINE POSTHUMI.

E_186 v.1 Magne pater, clamas, occidit littera, in ore
 2 hoc unum, occidit littera semper habes.
 3 Cavisti bene tu ne te ulla occidere possit
 4 littera. Non ulla est littera nota tibi.
 5 Nec frustra metuis ne occidat littera, scis non
 6 vivificet qui te spiritus esse tibi.

DE SACERDOTE RIDICULE ADMONENTE POPULUM DE JEJUNIO,
 CUM DIES JAM PRAETERISSET.

E_187 v.1 Admonuit populum noster cum forte sacerdos,
 2 proxima quos fastos afferat hebdomada
 3 martyris Andreae : "Magnum et memorabile festum est,
 4 scitis, ait, carus quam fuit ille deo.
 5 Squalida lascivam macerent jejunia carnem.
 6 Hoc suetum est, sancti hoc instituere patres.
 7 Praemoneo ergo omnes, in martyris hujus honorem,
 8 quod jejunari debuit, inquit, heri."

DE QUODAM MALE CANTANTE, ET BENE LEGENTE.

E_188 v.1 Tam male cantasti possis ut episcopus esse.
 2 Tam bene legisti ut non tamen esse queas.
 3 Non satis esse puto, si quis vitabit utrumvis.
 4 Sed fieri si vis praesul, utrumque cave.

AD SABINUM.

E_189 v.1 Quos ante conjunx quattuor
 2 natos, Sabine, protulit
 3 multum ecce dissimiles tibi,
 4 tuos nec ipse deputas.
 5 Sed quem tibi puellulum
 6 enixa jam nuperrime est,
 7 solum tibi simillimum
 8 pro quattuor complecteris.
 9 Adulterinos quattuor
 10 vocas, repellis, abdicas.
 11 Hunc unicum ceu 'gnesion'
 12 qui sit tibi haeres, destinas.
 13 Hunc ergo in ulnis gestiens,
 14 exosculandum ab omnibus
 15 ut filium fert simia,
 16 totam per urbem bajulas.
 17 Atqui graves tradunt Sophi,
 18 quibus laborque studiumque id est,
 19 secreta quicquid efficit
 20 natura perscrutarier.
 21 Ergo graves tradunt Sophi,
 22 quodcumque matres interim
 23 imaginantur fortiter,
 24 dum liberis datur opera,
 25 ejus latenter et notas,
 26 certas et indelebiles,
 27 modoque inexplicabili
 28 in semen ipsum congeri
 29 quibus receptis intime,
 30 simulque concrenentibus
 31 a mente matris insitam
 32 natus refert imaginem.
 33 Cum tot abesses millibus,
 34 dum gignit uxor quattuor,
 35 quod esset admodum tui
 36 secreta, dissimiles parit.
 37 Sed unus omnium hic puer
 38 tui refert imaginem,
 39 quod mater, hunc dum concipit
 40 sollicita de te plurimum,
 41 te tota cogitaverat,
 42 dum pertimescit anxia,
 43 ne tu, Sabine, incommodum
 44 velutque Lupus in fabulam
 45 supervenires interim.

DE PRINCIPE ET RUSTICO ZELANDO, RIDICULUM.

E_190 v.1 Cum spectaret aquas princeps, in ponte resedit,
 2 primoresque suos ante stetero pedes,
 3 rusticus adsedit, modico tamen intervallo,
 4 civilemque dato se putat esse loco.
 5 Suscitatur hunc quidam, et "Cum principe, dixit, eodem
 6 ponte sedere audes, rustice ? Nonne pudet ? "
 7 Ille refert : "Scelus est in eodem ponte sedere ?
 8 Quid si pons longus millia dena foret ?

DE AULICO RIDICULUM.

E_191 v.1 Cum descendit equo de circumstantibus uni
 2 aulicus "Hunc teneas quisquis es, inquit, equum."
 3 Ille ut erat pavidus dixit : "Domine, ergo ferocem,
 4 hunc rogo qui teneat sufficit unus equum ?"
 5 "Unus, ait, potis est retinere", subintulit ille.
 6 "Si potis est unus, tu potes ipse tuum."

IN MILITEM FUGACEM ET ANULATUM.

E_192 v.1 Aureus iste manus miles cur annulus ornat
 2 jure tuos ornet qui meliore pedes ?
 3 Utilior nuper, meliorque in Marte feroci
 4 planta tibi palmis una duabus erat.

IN BRIXIUM POETAM.

E_193 v.1 Brixi, tale tuo natum est aenigma libello
 2 a Sphinge opponi possit ut Oedipodi.
 3 Cordigera est tibi tota frequens, tibi non tamen usquam
 est.
 4 Cordigerae in toto syllaba prima libro.

IN TUSCUM POTOREM.

E_194 v.1 "Perdis, ait Tusco medicus tua lumina vino,
 2 consultat secum quid velit ergo sequi."
 3 "Sidera, terra fretumque solent quaecumque videri,
 4 omnia sunt, inquit, visa revisa mihi.
 5 Multa mihi sed vina tamen gustanda supersunt,
 6 multa refert annus cum nova musta novus.
 7 Jam certus firmusque : valebitis, inquit, ocelli,
 8 nempe satis vidi, non satis usque bibi.

IN ARNUM PERJURUM.

E_195 v.1 Jurasti satis, Arne, diu, tandem obtinuisti,
 2 jurare ut posthac jam tibi non sit opus.
 3 Coepit ubique tuo vir juratissime verbo
 4 quam juramento non minor esse fides.

IN EUMDEM.

E_196 v.1 Te semper juras, et cunctis, Arne, minaris.
 2 Vis scire utilitas quae venit inde tibi.
 3 Sic juras, ut nemo tibi jam denique credat,
 4 sic minitaris, ut has nemo minas metuat.

IN EUMDEM.

E_197 v.1 Arno nemo magis pedibus valet usque, sed olim
 2 frigore contractas perdidit ille manus.
 3 Optat bella tamen, cui pes citus, utraque manca est
 4 cui manus, in bello, scis puto quid faciet.
 5 At cui lingua procax, manus est ignava, procax est
 6 huic non ignava lingua secunda manu.

DE MARULLO.

E_198 v.1 Admonuit medicus lippum Theodore Marullum
 2 ne vinum (caecus ni velit esse) bibat.
 3 Pareat ut medico (quamquam aegre) abstemius esse
 4 ecce duos totos sustinet usque dies.
 5 Post, sitit assueti revocatus imagine vini,
 6 jamque foras, medico vera minante, ruit.
 7 Ventum erat ad vinum, cum sic sua lumina maestus
 8 affatur, posito jam peritura mero.
 9 "Huc iter est, huc me fidi duxistis ocelli.
 10 Hunc bibite, et dulces ambo valete duces.
 11 Gustus odorque manent, miratur abire colorem,
 12 in nigras subeunt lumina dum tenebras."
 13 Hoc tamen adversum lenit solamine casum,
 14 dote meri minima quod cariturus erat.

IN RISCUM EQUITEM IMBELLEM.

E_199 v.1 Riscus eques prudens longoque peritus ab usu
 2 dissimiles, causa non sine, pascit equos.
 3 Namque alit ille duos, volucrem praevertit alter,
 4 alter sed pigro pigrior est asino,
 5 hic ergo non festinantem ad proelia defert,

6 ille, prius tuba quam clanxerit, inde refert.

IN GELLIAM.

E_200 v.1 Mentitur qui te dicit, mea Gellia, fuscam :
2 judice me, non es, Gellia, fusca, nigra es.

IN EAMDEM.

E_201 v.1 Candida sum, dicis ; fateor, sed candida cum sis,
2 cur tibi candorem hunc obtegit atra cutis ?

IN EUPARYPHUM VESTE, OPPIGNERATO FUNDO, EMPTA.

E_202 v.1 Non miror sudare tuae te pondere vestis,
2 quattuor haec terrae jugera vestis habet.
3 Quantum viventi tibi terrae ingesseris usquam
4 tam magnum tumulum, nec tumulatus habet.

IN GAREMANUM VENDITIS AGRIS PAUPEREM.

E_203 v.1 En patrios nuper Garemanus vendidit agros,
2 nunc subito fama vivere fertur inops.
3 Non illi ingenium, non illi industria deficit,
4 verum inimica viro fata nocere puto.
5 Nam putres fulvo glebas mutaverat auro
6 callidus, et numquam rem tamen ille facit.

AD SABINUM.

E_204 v.1 Interiere duae, conjunx tibi tertia nupsit
2 nec tibi fida tamen de tribus ulla fuit.
3 Non tantum ergo tuas, sed damnas improbe totum
4 femineum irata mente, Sabine, genus.
5 Si tamen hanc aequa rem vis expendere lance,
6 fies erga ipsas mitior ipse tuas.
7 Nam tres cum fuerint iisdem tibi moribus omnes,
8 astra haec nascenti fata dedere tibi.
9 Si genesis tua te semper jubet esse cucullum
10 scilicet exspectas uxor ut astra regat ?
11 Casta futura alii fuerat quod adultera tecum est
12 hoc merito fati imputat illa tuis.

IN NAUFRAGUM MORSUM A VIPERA IN LITTORE, E GRAECO.

E_205 v.1 Aequoris insanas evasit naufragus undas,
 2 tristius Afra salo praebet arena solum.
 3 Dum jacet, ecce gravi pressus prope litora somno,
 4 nudus et infesto fessus abusque freto,
 5 vipera trux perimit, frustra fugis aequora frustra,
 6 heu miser, in terris debita fata tibi.

DE CHIRURGO ET ANU.

E_206 v.1 Unxit anus aegros velans chirurgus ocellos
 2 utile persuadens hoc fore quinque dies.
 3 Interea mappas, pelves, mortaria, discos,
 4 quicquid onus tutum non facit, inde rapit.
 5 Cum sanata oculos circumtulit illa revinctos
 6 instrumenta suae sentit abesse domus.
 7 "Mercedem ergo exacta, tua contingeret, inquit,
 8 uberius pactum est, ut mihi visus ope.
 9 At video nunc quam ante minus, quorum usus in aede est,
 10 vidi multa prius, nunc video inde nihil."

AD QUEMDAM.

E_207 v.1 Quam tibi mens levis est, tibi si pes tam levis esset,
 2 in medio leporem posses praevertere campo.

DE HERODE ET HERODIADE.

E_208 v.1 Coram Herode, Herodiadis dum filia saltat,
 2 dum quo debuerat displicuisse placet,
 3 ebrius affectu rex conjugis, ebrius illo
 4 fortunae luxu, praetereaue mero.
 5 "Opta, ait o, virgo, dabitur, juravimus, hujus
 6 dimidium regni poscere si libeat."
 7 Impia suggestu sceleratae filia matris
 8 inquit : "Baptistae da precor ergo caput."
 9 Dona petis, virgo, (si saltatricula virgo est)
 10 quae vix sustineas cernere dona petis.
 11 O funesta parens, o natae dira noverca,
 12 saltare, atque homines quam jugulare, doces.
 13 Rex dolet, et tristis concedit. Nempe coactus
 14 jurisjurandi relligione sui.
 15 O regem fidum, sed tunc tantummodo fidum,
 16 majus perfidia est cum scelus ipsa fides.

AD QUEMDAM EBRIOSUM.

E_209 v.1 Tecum in colloquium quod non properantius ivi
 2 segnitiam incusas conquererisque meam,
 3 confiteor vere, tibi non in tempore veni,
 4 serior, aut citior debuit hora legi.
 5 Aut utinam ejusdem venissem mane diei,
 6 aut tibi venissem mane sequente die.
 7 Nunc res luce nimis tractari coepit adulta,
 8 quando tua factum est ebrietate nihil.

IN PICTURAM HERODIANAE MENSÆ.

E_210 v.1 Sanguine funesta est Herodis mensa virili,
 2 sanguine funesta est mensaque Flamini.
 3 Tam similes caedes, similes fecere puellae,
 4 illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.
 5 Id tamen intererat, meretrici vita nocentis,
 6 at saltatrici penditur innocui.

IN EAMDEM PICTURAM.

E_211 v.1 Ora viri foedo sancti fluitantia tabo,
 2 decussumque gerit regia mensa caput.
 3 Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti
 4 natorum apposuit frater edenda patri.
 5 Sic regi Odrysio natum regina peremptum
 6 fida soror, genitrix perfida ponit Itim,
 7 talia regales omant bellaria mensas.
 8 Crede mihi, non est pauperis iste cibus.

IN VEHEMENTER NASUTUM, E GRAECO.

E_212 v.1 Si tuus ad solem statuatur nasus, hiante
 2 ore, bene ostendas dentibus hora quota est.

IN FUCATUM, E GRAECO.

E_213 v.1 Cur emitur fucus, coma, dens, mel, ceraque posset
 2 cum persona tibi tota minoris emi ?

IN HISTRIONEM, E GRAECO.

E_214 v.1 Cetera ad historiam, quiddam tamen, id quoque magnum
 2 jam tibi saltatum contra erat historiam.
 3 Dum Nioben ageres, stabas tamquam lapis esses,

4 cum fieres Capaneus ecce repente cadis.
 5 At Canacem gladio referens cum vivus abisti,
 6 hoc tibi saltatum contra erat historiam.

IN HISTRIONEM, E GRAECO.

E_215 v.1 Saltavit Nioben, saltavit Daphnida Memphis
 2 ligneus ut Daphnen, saxeus ut Nioben.

IN EBRIOS, E GRAECO.

E_216 v.1 Vespere, cum bibimus, homines sumus, atque benigni.
 2 Mane homini siccus trux fera surgit homo.

IN ANDREAM IN MARE VONENTEM.

E_217 v.1 Gratus es, Andrea, dignusque cui bene fiat,
 2 nam pisces toties qui te pavere, repascis.

DE EODEM.

E_218 v.1 Aequoris edisti pisces, irascitur aequor.
 2 Eque tuo fetus exigit ore suos.

IN PUELLAM DIVARICATIS TIBIIS EQUITANTEM.

E_219 v.1 Ergo puella viri quis te negat esse capacem,
 2 cum tua tam magnum circumdant crura caballum ?

AD GALLUM SUBLEGENTEM VETERUM CARMINA.

E_220 v.1 Vatibus idem animusque, et vere spiritus idem,
 2 qui fuit antiquis est modo, Galle, tibi.
 3 Carmina namque eadem versusque frequenter eosdem
 4 quos fecere illi, tu quoque, Galle, facis.

IN SCURRAM PAUPEREM.

E_221 v.1 Scurra ubi jam fures totam sibi nocte videret
 2 scrutantes magna sedulitate domum,
 3 risit, et "O media quid vos hic nocte videtis
 4 miror, ait, media nil ego cerno die."

DE SOLLICITA POTENTUM VITA.

E_222 v.1 Semper habet miseris immensa potentia curas,
 2 anxia perpetuis sollicitudinibus.
 3 Non prodit, multis nisi circumsaeptus ab armis,
 4 non nisi gustato vescitur ante cibo.
 5 Tutamenta quidem sunt haec, tamen haec male tutum
 6 illum, aliter tutus qui nequit esse docent.
 7 Nempe satellitium metuendos admonet enses,
 8 toxica praegustans esse timenda docet.
 9 Ergo timore locus quisnam vacat hic ? Ubi gignunt,
 10 haec eadem pellunt, quae metuenda, metum.

IN PRIVIGNUM COLLAPSA NOVERCAE STATUA OPPRESSUM. E GRAECO.

E_223 v.1 Flore novercalem cingis, privigne, columnam,
 2 morte ratus mores interiisse malos.
 3 Te tamen illa premit subito inclinata, novercae
 4 si, privigne, sapis, ipsa sepulchra fuge.

AD QUEMDAM POETAM EXTEMPORALEM.

E_224 v.1 Hos quid te scripsisse mones ex tempore versus ?
 2 Nam liber hoc loquitur, te reticente, tuus.

IN NOVERCAS. E GRAECO.

E_225 v.1 Privigno vel amans infortunata noverca est.
 2 Hippolyto gravis, hoc Phaedra docere potest.

IN QUEMDAM QUI DICEBAT CARMINIBUS SUIS NON DEFUTURUM GENIUM.

E_226 v.1 Hoc habet Hispani festivum epigramma poetae,
 2 victurus Genium debet habere liber.
 3 Dum legis hunc versum, jam tu quoque scribere versus
 4 tota mente paras, sed sine mente tamen.
 5 Quaeve canas, qualive modo contemnis, ea est spes
 6 victura haec Genio qualiacumque suo.
 7 Namque tuis Genium vir tam geniose Camenis,
 8 non dubitas aliquem mox alicunde fore.
 9 Tu tamen (et cariturus erit) tuus hic liber, opta
 10 ut careat Genio, qui caret ingenio.
 11 Cui Genius vitam producat si quis, erit quis
 12 ex Geniis, adsunt qui tibi mille, malis.
 13 Sed neque sic vivet, vati si credis eidem,
 14 nam non vivere, sed vita valere bene est.
 15 Quod si vita libri est jugi languescere probro,

16 detur et aeterna vivere morte tibi.

DE CUPIDITATE REGNANDI.

E_227 v.1 Regibus e multis regnum cui sufficit unum,
 2 vix rex unus erit, si tamen unus erit.
 3 Regibus e multis regnum bene qui regat unum.
 4 Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

DE DEDITIONE NERVIAE HENRICO VIII ANGLIAE REGI.

E_228 v.1 Belliger invictam domuit te, Nervia, Caesar,
 2 non tamen extremis absque utriusque malis.
 3 Te capit Henricus, capit et sine sanguine, princeps
 4 magno tam major Caesare quam melior.
 5 Sensit honorificum sibi Rex coepisse, tibi que
 6 utile sensisti non minus ipsa capi.

DE FABULLA ET ATTALO.

E_229 v.1 Fabulla nuper nescio quid Attalo
 2 irata, et illum commovere gestiens,
 3 ostendereque quam prorsus hunc nihili putet,
 4 juravit illi, si sibi centum forent
 5 membra, mulier quibus fit, e centum tamen
 6 praestare dignaretur haud unum Attalo.
 7 Non inquit ille ? Quae, malum, est isthaec nova
 8 frugalitas tibi ? Quaeve parsimonia ?
 9 Certe solebas esse liberalior.
 10 Unumne de centum gravareris modo
 11 avara commodare ? At aliquando unicum
 12 tantum cum haberes, unicum tamen, viris
 13 centum solebas dare benigna centies.
 14 Hei, metuo ne quid ista portendat tibi
 15 monstrosa tandem parcitas, magni mali.

DE FEBRICITANTE ET MEDICO BIBACI.

E_230 v.1 Febre laboraret mihi cum puer hemitritaeo,
 2 forte ibi Sauromatae posco medentis opem.
 3 Sensit ut admoto salientem pollice venam,
 4 "Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.
 5 Flagitat ergo cyphum fundumque exhaurit ad imum
 6 quantum nec Bitias ebibiturus erat.
 7 Haurit, ad aequales aegrotum provocat haustus.
 8 Et facere hoc temere ne videatur, ait,
 9 aestuat hic valde, valde bibat ergo necesse est,

10 non parvo obruitur magna liquore pyra.

DE HESPERO CONFITENTE.

E_231 v.1 Ex more sacro dum sacerdoti Hesperus
 2 commissa fassus expiaret crimina,
 3 explorat hujus ille conscientiam,
 4 et cautus omne examinat scelerum genus,
 5 interque multa quaerit ane umquam malos
 6 ritu profano crediderat in daemona.
 7 "Vah, egone credam in daemones, inquit, pater ?
 8 Multo labore vix adhuc credo in Deum.

DE OCCASIONE DEO. E GRAECO.

E_232 v.1 Unde erat hic plastes ? Sicyonius. At quis erat, dic.
 2 Lysippus. Tu quis ? Tempus ego omne domans.
 3 Cur summis instas digitis ? Roto semper. At alas
 4 cur pedibus gestas ? Ut levis aura feror.
 5 At dextram cur armat acuta novacula ? Signum est,
 6 quod conferri acies non potis ulla mihi est.
 7 Cur coma fronte jacet ? Quod qui me prendere captat,
 8 praeveniat. Calvum est cur tibi retro caput ?
 9 Quod postquam levibus praeceps effugero pennis,
 10 nil aget a tergo qui revocare volet.
 11 Unde igitur posses documentum sumere, talem
 12 artificis posuit me tibi docta manus.

DE PHYLLIDE ET PRISCO IMPARITER AMANTIBUS.

E_233 v.1 Clam Phyllis cupido bene nubet candida Prisco,
 2 quam bene spumanti vitrea lympha mero.
 3 Phyllida Priscus amat calido ferventius igne,
 4 frigidius gelida Priscus amatur aqua.
 5 Jungetur tuto, nam si simul ardeat illa,
 6 sustineat flammam quae domus una duas ?

DE NUMMIS ANTIQUIS APUD HIERONYMUM BUSLIDIANUM SERVATIS.

E_234 v.1 Roma suis olim ducibus quam debuit, illi
 2 tam debent omnes, Buslidiane, tibi.
 3 Roma suis ducibus servata est, ipse reservas
 4 Romanos Roma praemoriente duces.
 5 Nam quae Caesareos antiqua nomismata vultus,
 6 aut referunt claros tumve priusve viros,
 7 haec tu saeculorum studio quaesita priorum
 8 congeris, et solas has tibi ducis opes.

9 Cumque triumphales densus cinis occulat arcus,
 10 ipse triumphantum nomen, et ora tenes.
 11 Nec jam Pyramides procerum monumenta suorum
 12 tam sunt, quam pyxis, Bustidiane, tua.

AD EUMDEM.

E_235 v.1 Ecquid adhuc placidam, mi Bustidiane, Camenam
 2 tua coerces capsula ?
 3 In tenebras abdis cur dignam luce, quid illi ?
 4 Quid invides mortalibus ?
 5 Musae fama tuae toto debetur ab orbe.
 6 Quid huic repellis gloriam ?
 7 Gratus ab hac fructus toti debetur et orbi
 8 quid unus obstas omnibus ?
 9 An tibi casta procul coetu cohibenda virili
 10 cohors videtur virginum ?
 11 Sunt haec virginibus fateor metuenda, sed illis
 12 devirginari quae queunt.
 13 Aede tuam intrepidus, pudor est inflexilis illi.
 14 Nec ille rudis aut rusticus.
 15 Ut tua non ipsi cessura est virgo Dianae
 16 pudore grata lacteo,
 17 sic tua non ipsi cessura est virgo Minervae
 18 sensu, lepore, gratia.

AD BUSLIDIANUM DE AEDIBUS MAGNIFICIS MECHLINIAE.

E_236 v.1 Culta modo fixis dum contemplantur ocellis
 2 ornamenta tuae, Bustidiane, domus,
 3 obstupui quonam exoratis carmine fati
 4 tot rursus veteres nactus es artifices ?
 5 Nam reor illustres vastis ambagibus aedes,
 6 non nisi Daedaleas aedificasse manus.
 7 Quod pictum est illic pinxisse videtur Apelles,
 8 quod sculptum credas esse Myronis opus.
 9 Plastica cum video Lysippi suspicor artem,
 10 cum statuas, doctum cogito Praxitelem.
 11 Disticha, quodque notant opus, at quae disticha vellet,
 12 si non composuit, composuisse Maro.
 13 Organa ram varias modulis imitantia voces,
 14 sola tamen veteres vel potuisse negem.
 15 Ergo domus tota est vel saeculi nobile prisca,
 16 aut quod prisca novum saecula vincat opus.
 17 At domus haec nova nunc, tarde seroque senescat
 18 tunc videat dominum nec tamen usque senem.

DE PHILOMENO ET AGNA, CONJUGATIS MALA FIDE.

E_237 v.1 En redeunt nostro Veneris miracula saeclo
 2 qualia nec prisco tempore facta reor.
 3 Flos juvenes inter Philomenus et Agna puellas
 4 junguntur Paphiae rite favore deae.
 5 Ille sed, heu, nimium laudata voce superbit,
 6 illa tumet placidi laudibus ingenii.
 7 Ergo conjugium votis tam saepe petitum
 8 non Veneri acceptum, sed retulere sibi.
 9 Ingratis adimit formam dea, neve coirent
 10 mutati, dispar indit utrique genus.
 11 Mox Philomenus enim quavis aestate canentem
 12 in cuculum, inque avidam vertitur Agna lupam.

MEDICINAE AD TOLLENDOS FOETORES ANHELITUS
PROVENIENTES A CIBIS QUIBUSDAM.

E_238 v.1 Sectile ne taetros porrum tibi spiret odores,
 2 protinus a porro fac mihi caepe vores.
 3 Denuo foetorem si vis depellere caepe,
 4 hoc facile efficient allia mansa tibi.
 5 Spiritus at si post etiam gravis allia restat,
 6 aut nihil, aut tantum tollere merda potest.

AD LECTOREM DE NOVO TESTAMENTO VERSO AB ERASMO ROTERODAMO.

E_239 v.1 Sanctum opus, et docti labor immortalis Erasmi
 2 prodit, et o populis commoda quanta vehit ?
 3 Lex nova nam veteri primum est interprete laesa
 4 scribentum varia post vitiata manu.
 5 Sustulerat forsitan mendas Hieronymus olim,
 6 sed periire pigro tam bona scripta situ.
 7 Tota igitur demptis versa est jam denuo mendis,
 8 atque nova Christi lex nova luce nitet.
 9 Nec tamen ambitiose singula verba notavit,
 10 sanctum habuit quicquid vel mediocre fuit.
 11 Quo fit ut haec celeri si quis praetervolet ala,
 12 huic nihil hic magni forte putetur agi.
 13 Idem si presso relegat vestigia gressu,
 14 censebit majus commodiusve nihil.

AD REVERENDISSIMUM etc. THOMAM CARDINALEM ET ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM,
IN LIBRUM NOVI TESTAMENTI, EI AB ERASMO DATUM,

E_240 v.1 Unice doctorum pater ac patrone virorum,
 2 Pieridum pendet cujus ab ore chorus,
 3 cui populus quantum defert ac cedit honore,

4 virtutes infra est tantum honor ipse tuas.
 5 Ab liber iste tuo longe tibi venit Erasmo,
 6 hunc, precor, hoc animo quo dedit ipse cape,
 7 nec dubito, capies. Operi nam jure favorem
 8 auctor, et auctori conciliabit opus.
 9 Ille tui cultor semper fuit, est opus ipsum
 10 lex Christi, studium quae fuit usque tuum,
 11 illa paratur ab hac prudens tibi lege facultas,
 12 qua Momo coram reddere jura potes.
 13 Namque ita perplexas populo mirante querelas
 14 discutis, ut victus non queat ipse queri.
 15 Non humana tibi facit hoc sollertia, sed lex
 16 Christi, judiciis unica norma tuis.
 17 Ergo opus hoc placido Praesul dignissime vultu
 18 excipe et auctori (quod facis) usque fave.

AD REVERENDISSIMM etc. ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

E_241 v.1 Quod bene sunt collata tuo, pie praesul, Erasmo
 2 tanta tua toties munera prompta manu,
 3 quam non ducat iners, quae tu facis otia, monstrant
 4 multa, sed in primis indicat istud opus.
 5 Aediderit quamvis numerosa volumina, fructu
 6 non sine, vincit opus cuncta priora novum.
 7 Cunctorum utilitas, sed honor te est inter, et illum.
 8 Praestitit ille operam, tu, bone praesul, opem.
 9 At partem ille suam toto tibi pectore cedit,
 10 quicquid agit meritis imputat omne tuis.
 11 Hunc petit ille sui fructum, pater alme, laboris,
 12 carus ut hoc tu sis omnibus, ille tibi.

EPITAPHIUM IN SEPULCHRO JOHANNAE OLIM UXORIS MORI,
 DESTINANTIS IDEM SEPULCHRUM ET SIBI ET ALICIAE POSTERIORI UXORI.

E_242 v.1 Cara Thomae jacet hoc Johanna uxorecula Mori,
 2 qui tumulum Aliciae hunc destino quique mihi.
 3 Una mihi dedit hoc conjuncta virentibus annis,
 4 me vocet ut puer et trina puella patrem.
 5 Altera privignis (quae gloria rara novercae est)
 6 tam pia quam gnatis vix fuit ulla suis.
 7 Altera sic mecum vixit, sic altera vivit,
 8 carior incertum est, haec sit, an haec fuerit.
 9 O simul o juncti poteramus vivere nos tres
 10 quam bene, si fatum relligioque sinant.
 11 At societ tumulus, societ nos obsecro caelum
 12 sic mors, non potuit quod dare vita, dabit.
